IVS MVNICIPALE ADRIÆ.

Ex S. C.

Nunc primùm editum:

AVSPICANTE

Illuſtriſsimo, & Excellentiſsimo D.D.

PETRO FOSCARI

SVMPTIBVS

IOANNIS ARCHIPRESBITERI, ANTONIJ FRATRIS, ET FRANCISCI NEPOTIS GIVLIANATI CIVIVM ADRIENSIVM.



VENETIIS, M. DCCVII.

Apud Iacobum Valuaſenſem

Superiorum Permiſsu.

Illuſtriſsimo, & Excellentiſsimo D.D.

PETRO FOSCARI

Patrono Clementiſſimo.

IOANNES ARCHIPRESBITER, ANTONIVS FRATER,
ET FRANCISCVS NEPOS GIVLIANATI.

Ciuitatis, Populique Adrienſis Votum nuncupant.

B. N.

PRodeunt aliquando ſæculorum Elogio, nèdum conſenſu dimiſsa, ADRIÆ Iura Municipalia, pars Ciuium ſuffragijs, pars exactorum Principum conceſſione, cuncta Venetæ Maieſtatis Clementià, quà condita, quà confirmata, Sanctarumque Legum robore, ac ſplendore, per hanc altius optatam, diutius protractam editionem, ex Senatus Conſulto cumulata. Sacra hæc monumenta eius, quod cuique noſtrùm debetur, ſeù conuenit, tam varià temporum, rerumque ſucceſsione penè obruta, & inter fluctus calumniantis malitiæ priuatis, ſolutiſque tabulis inſiſtentia vix euaſura naufragium, publicè demum emergunt:

Tùque

Tùque primus, Pater amplissime, ex eo populo Regum, Augustàque Familià Cæsarum, Venetorum, inquam, Principum Multitudine Regnatrice, ad vota deditissimæ Ciuitatis effusus, emergentibus manum porrexisti, æternam asserens incolumitatem. Maiores nostri hanc nobis felicitatem benemeritá incuriá, faustàque cunctatione compararunt, vt harum Legum volumina auspicijs melioribus reseruata, è profundo, obscuroque pelago obliuionis, quo sortis, sedisue incerta trahebantur, non nisi te Cæsare, summà veluti dexterà arepta, in vberiorem hanc firmitatem, lucemque immortalem traducerentur: Et quemadmodum benè, atque sapienter Legum conditores vniuersi eas Dijs immortalibus acceptas retulerunt, Trismegistus, quas Ægyptijs, à Mercurio: Charondas, quas Chartaginensibus, à Saturno: Minos, & Rhadamantus, quas Cretensibus, à Ioue: Licurgus, quas Lacedemonijs, Draco, quas Athenienfibus à Minerua: Numa Pompilius, quas Romanis dedit, ab Ægeria Nymphà traditas simulantes; Ita nos, prophanitate fabularum expuncta, Te Ciuitatis, Populique Adriensis Tutelare Numen auspicatò nuncuparemus, quo fauente, Iura nostra, non condita quidem, Verùm quod maius est, restituta, numquam satis repensuræ posteritati mandamus. Moyses ille Diuinæ Legis assertor acceptas à Deo Tabulas populo redditurus, protulit ornatum caput fulgidissimo Cornù, inter Hæbreorum Reip. Optimates summæ dignitatis insignum. Deus ita faxit, vt redditæ nobis tuo munere nostræ Leges, Veneti Cornu splendorem tibi prænunciant. His auspicijs assurgunt animi, his muneribus obruti. Æternum viue.

Rubri-

Ttractatus Secundus.

De

Tractatus de ſuper Maleffitijs.

Quod

Tractatus de Adulterijs.

De

Quod

Quod

Tractatus Extraordinariorum.

F I N I S.

Deo Iesu Christo Eterno Deo, Eternique Dei Filio laus, & gloria.

Approbatio Prouisionum, & Statutorum Comunis Adriæ.
Leonellus Marchio Extensis.

Dilectissimi nostri in memoria nostra è, quod felicis, & non dolendæ memoriæ Ill. ac Exc. Dominus olim Genitor noster Dominus noster Nicolaus Marchio Est: non longe anteacto tempore, dum in humanis ageret ad supplicationem, & præces vestrum Communis, & hominum suæ tunc, nunc nostræ Ciuitatis Adriæ comisit tibi Iacobo de Villa Vicecomiti ipsius Ciuitatis, quod nonnullis ad te vocatis eius Ciuibus, quos tu prudentiores, & in Republica benè prospicientes iudicare Statuta eius Ciuitatis iam annos circa centum quadraginta per prædecessores nostros Illustr. D.D. March. edita, quæ ob varias temporum vices, nouosque hominum mores, & consuetudines necessaria reformatione videbuntur indigere pensata deliberatione, maturoque consilio reformares, quo facta ea suæ Celsitudini traderes approbanda. Cum ergo tu Vicecomes, & quorum nomina huc describuntur eius loci Ciues Videl. Bartholomeus Grottus, Christophorus de Penolatijs, Paulus Guarnerius, Ioannes de Sachetis, Antonius de Pezzolatis, Antonius de Celeggis, Bartholomeus de Amatis, Petrus Ioannes de Guarnerijs, Marchesinus della Dia, Peregrinus de Seraualle, Antonius de Amatis, Ioannes Franciscus de Grottis, & Michael Ioannes de Amatis, qui omnes per te Vicecomitem pro discretis, prudentibusque Viris ad talem Statutorum suorum reformationem electi fuere, ea ipsa Statuta laudabili modo reformaueritis, vt ex suo tenore dignosci potest, eaque nobis, qui præfatto Ill. Genitori nostro in Dominio, & Statuto Vniuersali succesimus videnda, & approbanda trasmittatis; Nos verò ea dilligentius examinanda, pensandoque maturius Iudicibus Curiæ nostræ deducimus, vt tamquam, qui Iuris, & Equi subtiliores sunt Interpretes, si quid in eis omissum esset alerent, superflua resecarent, emendanda corrigerent; Cumque Iudices ipsi visis, ac maturè examinatis Statutis ipsis, & vbi oportuit per eos examinatis, & emendatis, & nobis remiserint, refferentes eas esse approbatione dignissima. Igitur nos cupientes, vt qui suo nostro Dominio viuunt, viuitque sunt seruata cum æquitate Iustitia viuam, legesque habeant, quæ benè viuendo normam præbeant, & delinquentibus debita supplicia, & pænas iniungant: Statuta ipsa omnia emendata sunt vobis allegata remittimus, ac ea de nostræ plenitudine potestatis, & omni alio meliori modo, quo possumus approbamus, ac rata, ac firma esse, & haberi volumus, & mandamus: mandantes harum serie tibi Vicecomiti, & suis Successoribus, & vobis Communitati, ac Hominibus ad nostris ibidem præsentantibus, & futuris, quatenus de cætero ea omnia Statuta, Prouisiones, & Ordinamenta, vt iacent pro legge habeatis, & ea in perpetuum; & inuiolabiliter obseruatis, & obseruare faciatis sub pæna Indignationis nostræ, & alijs pænis in ipsis statutis, & Prouisionibus annotatis: volentes, vt ea ad perpetuam memoriam, & longiorem conseruationem in membranis transcribi faciatis cum registratione harum nostrarum in principio Voluminis ipsorum Statutorum. Datur Ferrariæ in Palatio Curiæ nostræ Anno Natiuitatis Dominicæ Millesimo Quadrigentesimo secundo, Indictione Quinta Die quarta Mensis Ianuarij.

De Gubenatione Terræ Adriæ, & de Officio Vicecomitis.

AD officium Domini Vicecomitis spectat, & pertinet protegere, deffendere, ac manutenere pacificum, & quietum statum Ill. D. Marchionis in tota Viscontaria Adriæ, & prouidere in omnibus, & singulis, quæ ad pacificum statum spectant, & pertinent, teneanturque omnes, & singuli Officiales ipsius D. Marchionis, & omnes eius subditi, & quoquomodo habitantes in dicta Viscontaria ipsi D. Vicecomiti assistere, obbedire, & facere in omnibus, & singulis quæ quomodocumque ad statum pacificum Ill. Domini nostri spectant, & pertinent, & ad eius mandatum accipere, & deponere arma pro conseruatione status prædicti sub pæna ammissionis gratiæ ipsius Domini, & alia qualitati eius arbitrio auferenda.

Quod Dominus Vicecomes cogat quoſcumque Officiales ad ſoluendum hominibus habitantibus in Terra Adriæ.

DEbet Dominus Vicecomes cogere quoſcumque Officiales habitantes in Viſcontaria Adriæ, & Cuſtodes omnes Paſsuum ad ſoluendum cuilibet perſonæ habitanti in dicta Viſcontaria, id quod ſibi dari deberent quacumque de cauſa.

Quod ſi quis Officialis fecerit rixam.

SI quis Officialis, vel Cuſtos, vel eius familiaris fecerit rixam vel feritam in ſimul, vel cum Terrigenis, vel Forenſibus in dicta Viſcontaria ſine ſanguine Dominus Vicecomes debeat ipſos capere, ſeu capi facere, & punire ſecundum formam Iuris, & Statutorum præſentium.

De arbitrio Domini Vicecomitis.

DOminus Vicecomes in Viſcontaria Adriæ habeat in Ciuilibus, & Criminalibus merum, & mixtum Imperium, & Gladij poteſtatem, & quamlibet Iuriſdictionem, & teneatur audire omnes quærelas Subditorum, quam Forenſium in Criminalibus omni die, & prouidere ſecundum formam Iuris Communis, & Statutorum, & dictus Vicecomes teneatur qualibet die Iuridico ſedere ad ſuum Tribunal conſuetum ſemel in die in Veſperis ſub pæna ſolidorum viginti paruorum pro qualibet vice de ſuo ſalario retinendorum.

De diebus Feriatis, quibus non debet ſedere Dominus Vicecomes ad Bancum.

STatuimus, quod in nullo infraſcriptorum dierum Dominus Vicecomes ſedere ad Tribunal, nec dicere ius inter aliquos in Cauſa Ciuili niſi reperiatur prouiſum per præſentia Statuta, nec teneatur aliquis Citatus aliquo iſtorum dierum comparere.

Per Octauam ante Feſtum Natiuitatis Domini vſque per tres dies Epiphaniæ.

- Sancti Antonij Abbatis.
- Purificationis Beatæ Mariæ Virginis.
- Annunciationis Beatæ Virginis.
- Per Oct. ante Reſurrectionem Domini.
- Inuentionis Sanctæ Crucis.
- Sanctæ Mariæ Magdalenæ.
- Dies Rogationum.
- Aſcenſionis.
- Per tres dies Pentecoſtes.
- Sancti Laurentij.
- Aſſumptionis Beatæ Virginis.
- Decollationis Sancti Ioannis.
- Natiuitatis Beatæ Mariæ Virginis.
- Tres dies carnis Priuium.
- Sancti Michaelis.
- Sancti Franciſci.
- Omnium Sanctorum.
- Sancti Martini.
- Sancti Bellini.
- Sancti Nicolai.
- Sanctæ Luciæ.
- Omnium Apoſtolorum.
- Omnium Euangeliſtarum.
- Omnium Doctorum Eccleſiæ.
- Diebus Dominicis.
- Per dies quindecim ante Feſtum Sancti Petri de Menſe Iunij, & poſt dies quindecim poſt dictum.

Feſtum occaſione Meſſium exceptis obligatis pro laborerijs Canarum.

Quod quolibet perſona teneatur obedire Domino Vicecomiti in his, quæ ſpectant ad eius Officium.

ITem quod quælibet perſona tam Forenſis, quam Terrigena habitans in Terra Adriæ, vel eius diſtrictu, & Viſcontaria cuiuſcumque conditionis ſit, teneatur, & debeat obedire, & fa-

& fauere Domino Vicecomiti in omnibus, quæ ad eius Officium ſpectant, & pertinent, & ad eius mandatum ipſum ſequi, & accipere, & deponere arma de die, & de nocte pro executione ſui Officij, pæna, & Banno ſolidorum quadraginta paruorum cuilibet contrafacienti, & alia qualibet arbitrio Illuſtriſsimi Domini Noſtri Marchionis, &c.

Quod omnes vadant ad Vicecomitem cum pulſatur Campana.

ITem quod quælibet perſona dimittat Laboreria de Artibus, & Miſterijs Terræ, ſtatim cum audierit, aut cridatum fuerit, aut per Campanam ſonatam ad ſtrepitum, vel rumorem, vel ignem, & ſtatim ſequatur, & vadat vſque ad perſonam Vicecomitis, ſiue de die, ſiue de nocte, & in omnibus faciat id, quod ſibi per Dominum Vicecomitem fuerit mandatum; Niſi id fuerit occaſione conſeruationis Status Illuſtriſſimi Domini Noſtri, quo tam quælibet perſona quam ipſe fuerit, & obedire debeat.

De Iuramento Domini Vicecomitis.

STatuimus ad honorem Dei, & Beatæ Virginis Mariæ Glorioſæ eius Matris, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & omnium Sanctorum. Quod Vicecomes in principio Regiminis ſui teneatur iurare in manibus Maſſarij Communis Adriæ deferentis in pleno, & generali Conſilio, more ſolito, congregato ad Sancta Dei Euangelia manu tactis Scripturis manutenere ſtatum, & honorem Domini Marchionis in perſona, & rebus communiter, & diuiſim, terramque, & homines ſui diſtrictus in perſona, & rebus toto ſuo poſſe, & vnicuique obſeruare Iuſtitiam, & in cauſis, & quæſtionibus, & criminalibus iudicare ſecundum formam præſentium Statutorum, & vbi deſunt Statuta ſecundum conſuetudines à Iure probatas, & vbi deſunt Conſuetudines ſecundum Ius Commune, & plus, & minus ad arbitrium Domini Illuſtriſsimi Marchionis.

Quod Vicecomes non audeat accipere aliquam pecuniam.

ITem ſtatuimus, quod Vicecomes non accipiat aliquam ſolutionem, vel monetam, ſeu aliquid aliud de bonis aliquorum communium, aut ſingularium perſonarum totius ſuæ Viſcontariæ aliquo modo, vel ingenio, per ſe, vel alium occaſione aliqua, nec pro examinatione Teſtium; nec pro eundo ad aliquam differentiam, quæ ſit in dicta Viſcontaria inter aliquas perſonas, videndo, ſeu terminando, dummodò habeat Expenſas per ſe, & ijs, qui ſecum ibunt, & Naues intelligendo bona fide, & ſine fraude, & ſolidos decem paruor. pro interpoſitione auctoritatis alijs, aut nihil poſſit accipere ſub pæna ſolidorum quadraginta paruor. de ſuo ſalario, & ſub vinculo Sacramenti.

Quod ſolus Vicecomes faciat præceptum.

STatuimus, quod ſolus Vicecomes faciat præcepta, ſeu fieri faciat, & non aliquis Notarius, vel aliquis alius qui non habeat iuriſdictionem, niſi quatenus per præſentia Statuta diſponitur, & ſi aliter factum fuerit non valeat ipſo Iure.

De Sindicatu Vicecomitis.

STatuimus, quod in fine Officij Dominus Vicecomes ſindicetur, & ſtare debeat ad Sindicatum, teneaturque ipſe Vicecomes in iis, quæ deliquerit curia ſua in ſuo Officio, & occaſione Officij, niſi talem delinquentem præſentauerit.

De Congregatione Conſilij.

STatuimus, quod omni anno in Kalendis Ianuarij, & in Kalendis Iulij congregetur in Terra Adriæ in Domo Communis Iuris ad ſonum Campanæ, vt moris in Domino Viceco-

 mite

mite; & de eius mandato Consilium Generale, in quo Consilio extrahantur per ipsum Dominum Vicecomitem omnes officiales communis secundum tenorem subsequentis Statuti, & in quo Consilio tractetur, arrengetur, & deliberetur quicquid videbitur vtile, & necessarium pro rebus Communis; possit etiam diuitem Consilium quibuscumque diebus, & quotiescumque opus fuerit congregari pro necessitatibus occurrentibus.

Quod Vicecomes conuocetur ad Consilium.

ITem, quod ad quamlibet congregationem Consilij faciendam in Adria teneatur Dominus Vicecomes ante congregationem ipsius Consilij conuocari specialiter, & teneatur ipse Vicecomes ad omnem requisitionem Consulum dictum Consilium facere congregare.

De numero Consiliorum.

ITem, quod duodecim Consiliares debeant, & possint esse in Consilio Adriæ, videlicet Massarius, & quatuor Consiliares, & à Latere Tumbæ quinque, vt sunt vnus Sindicus, vnus Consul, & tres Consiliarij, scilicet de melioribus, & sufficientibus Terræ, qui eligantur in Kalendis Ianuarij, & in Kalendis Iulij, nec alio tempore elligi possint, & electio alio tempore facta sit ipso Iure nulla, & eligantur secundum formam Statuti sequentis.

Quod homines interesse debeant in Consilio.

ITem, quod nouem homines de Consilio ad minus interesse debeant in dicto Consilio, quando aliquid tractabitur, & ordinabitur per dictum Consilium, & quicquid tractatum, vel ordinatum fuerit per eos firmum, & ratum sit, & si pauciores nouem fuerint ipso iure non valeant quæcumque factum fuerit per dictum Consilium.

De pœna Consiliarij non venientis ad Consilium.

ITem, quod quilibet Consiliarius deputatus ad Consilium si vocatus fuerit per præconem ad Consilium, & non venerit soluat pro qualibet vice solidos quinque paruor. nisi habuerit iustam causam arbitrio Domini Vicecomitis cognoscendam, & quod Vicecomes faciat, quod statim facto ipso Consilio Massarius debeat erigere dictam pœnam, & deponere ad eius introitum sub pœna prædicta pro quolibet prædictorum Vicecomitis, & Massarij non facientium prædicta.

Qui non possint eligi ad Consilium.

STatuimus, qnod nullus possit eligi ad Consilium, nisi ipse sit Ciuis Adriæ origine personæ, vel saltem paternę, & habitet in Terra Adriæ, & sit maior annis XXV. nec possint esse duo, vel plures de vna, & eadem Familia, & in simul habitantes, & si aliquis elligeretur contra formam præsentis Statuti, talis ellectio sit nulla ipso iure, nec possint in futurum elligi aliqui ad Consilium, qui sint exempti, aut qui non sustineant onera Realia, & Personalia cum Commune Adriæ; nisi sint Officiales Illustrissimi Domini Marchionis, qui licet sint exempti pro persona, nihilominus possunt elligi ad Consilium.

Quod nullus vadat ad Consilium, qui non sit de Consilio.

ITem, quod si aliquis, qui non fuerit descriptus in numero Consiliorum iuerit ad Consilium, & steterit in dicto Consilio sua auctoritate propria condemnetur statim per Dominum Vicecomitem in solidis XX. paruor. pro quolibet, & qualibet vice, & statim cogatur ad soluendum.

De Partitis faciendis.

ITem, quod nullum partium possit fieri, nisi ad Bussolos, & Balotas, & vnusquisque qui deponit Balotam teneatur ponere manum in vnoquoque Bussolo, ita quod non cognoscatur in quo Bussolo posuerit suam Balotam sub pœna solidorum decem paruor. pro quolibet, & nihilominus partitum aliter factum non valeat.

De ellectione Officialium.

ITem, quod quotiescumque de Officialibus elligendis non superest aliquis imbussulatus, tunc congregato Consilio Dominus Vicecomes, & illi, qui tunc erunt Consules, Sindicus, & Massarius cum Iuramento præstando per dictos Consules, Sindicum, & Massarium elligant ex arbitrio suo omnes illi, qui erant imbussulandi.

De extractione Officialium.

ITem, quod omni anno in Kalendis Ianuarij, & Iulij in pleno Consilio per Dominum Vicecomitem aperiantur scatulæ Officiorum, & extrahantur primò à Latere Castri vnus Massarius, & duo Consules, & à Latere Tumbæ Sindicus, & vnus Consul, qui vna cum Domino Vicecomite debeant elligere bona fide, & sine fraude cęteros Consiliarios, & omnes alios Officiales iuxta eorum consuetudinem.

De salario Extimatorum rerum, & bonorum, quæ venduntur per Curiam.

ITem, quod elligantur tres Extimatores bonorum mobilium, & immobilium, quæ venduntur, aut dantur in solutum per curiam, qui iurent officium suum, & habeant suum salarium hoc modo, videlicet, quod si res Extimata erit in Terra Adriæ, si extimatio non excedat libras decem paruor. habeant toti tres extimatores denarios duos pro libra, videlicet denarios duos paruor. si verò excederit libras decem paruor. sed non excedat libras viginti quinque paruor. sed non excedit libras centum habeant toti tres Extimatores solidos quatuor paruor. in totum, & à libris centum, & citra quantacumque sit existimatio habeant toti tres Extimatores solidos duos paruor. pro quolibet Centenario eius, quod excederit dictam summam librarum Centum paruor. si verò existimata sit extra Terram Adriæ vadant Extimatores ad estimandum suis expensis, & habeant vltrà id, quod dictum est quilibet eorum solidos octo paruor.

De Officio Massarij.

AD Officium Massarij spectat, & pertinet exigere omnes, & singulos introitus Communis, & omne in totum, in quo præcedens Massarius remanserit debitor Comm unis, & similiter facere omnes expensas occurrentes pro communi tempore suæ Massariæ: Nec possit aliquas expensas facere, nisi de mandato Domini Vicecomitis, & Consulum pœna solidorum XX XX. paruor.

De arbitrio Massarij.

ITem, quod Massarius possit facere quamlibet expensam, quæ non excedat libras duas paruor. sine requisitione Consulum, non tamen illis contradicentibus, & si expensa excedit summam prædictam, dum tamen non excedat summam librarum X. paruor. possit facere cum consensu Consulum suorum, abinde autem supra non possit expensam aliquam facere sine consensu Domini Vicecomitis, & Consulum; Ita tamen, quod quælibet dicta-

dictarum expensarum sit postea approbata per Dominum Vicecomitem tempore redditionis rationum prædicti Massarij.

De ratione reddenda per Massarium.

QVod quilibet Massarius Communis in fine cuiuslibet Mensis teneatur se præsentare Domino Vicecomiti, & scribi facere rationem introitus, & expensæ illius Mensis antequam lapsus sit secundus Mensis, & ita de alijs Mensibus pœna Massario librarum duarum paruor. pro qualibet ratione non scripta, nisi legitima causa interuenerit, & in fine quorumlibet sex Mensium reddere teneatur rationem in pleno Arrengo suæ Massariæ.

Quod Massarius teneatur consignare Res Communis.

ITem, quod omnis Massarius teneatur in principio sui Officij infra octo dies facere inuentarium rerum Mobilium, & Massariarum Communis, & finitis eorum officijs infra terminum aliorum octo dies teneatur ipsas res, quæ ei supererant futuro successoris Massario consignare sub pœna librarum quinque paruor. pro qualibet contrafaciente.

De Iuratis armorum, & aliorum Officialium iuratorum.

QVod Vicecomes, & Officiales Adriæ teneantur in Kalendis Ianuarij, & Iulij elligere iuratos armorum Præcones Saltuarios, & Extimatores Campaneæ Terræ Adriæ, & dicto tempore Cauarzeranos Corbulæ teneatur secundum consuetudinem ibi hactenus obseruatam elligere suos Officiales, qui coram Domino Vicecomite Adriæ debeant comparere in eius manibus ad iurandum eorum Officia, pœna cuilibet contrafacienti solidorum centum paruor. & hoc facere debeant vsque ad octo dies proximos venturos à die Officij sui.

De Iuramento Officialium.

ITem, quod omnes, & singuli Officiales Communitatum, vt sunt Cauarzerani, iurati armorum, Saltuarij, & Extimatores Villæ Corbularum infra octo dies à die eorum officij teneantur, & debeant comparere coram Domino Vicecomite Adriæ, & iurare fideliter exercere suum Officium pœna librarum quinque paruor. cuilibet contrafacienti.

Quod omnes soluant Collectas, & alias factiones faciant.

STatuimus, quod omnes habitantes in Terra Adriæ, aut in eius Viscontaria teneantur soluere Collectas, & grauamina, et alias factiones facere pro eorum persona, et bonis, prout alij de dicta Viscontaria soluunt, et faciunt, et seu prout deliberatum fuisset per Dominum Vicecomitem, et Consilium.

De pœna non soluentium Collectas, & alia grauamina.

STatuimus, quod pro Communi vtilitate Communis Adriæ, et pro substentatione Reipublicæ, quod quæcumque persona cuiuscumque conditionis, priuilegij, aut dignitatis existat, quæ sit Ciuis priuilegiata, et non origine, quæ habeat, et teneat aliquas possessiones immobiles in Terra Adriæ, vel eius districtu, et quæ non soluat, et non faciat onera prout alij originales Ciues Adriæ faciunt, et substinent, debeat soluere terrarium, quod & prout per Dominum Vicecomitem, et Consules, tunc existentes ei imponatur pro bonis suis, et si non soluerit non audiatur in aliqua causa Ciuili, nec ei fiat ius per Dominum Vicecomitem; et aliqua persona non debeat eorum Terram, aut vineam laborare pœna librarum X. par-

uor. pro quolibet, & qualibet vice; nec aliquid persona possit, & debeat alicui ex prædictis macinare, nec ire ad suum opus, vel seruitium cum prætio, vel sine prætio, nec eis fauorem, Consilium, vel aliquod adiutorium conferre sub pœna prædicta; excipiendo ab hoc Statuto omnes illos, qui vigore præsentium Statutorum sunt excepti, vel habeant speciale priuilegium ab Illustrissimo Domino Nostro.

Quod nullus petat adiutorium, nec donum à Commune.

QVod si aliqua persona præter D. Marchionem petierit à Commune Adriæ aliquod adiutorium, vel donum, vel aliquod seruitium de pecunia aliqua occasione, vel ingenio ei non detur, & Vicecomes non debeat, nec possit dare Consilium, & si factum fuerit non valeat; & si aliquis pro eis quid dixerit, aut petierit in Codicillo soluat solidos centum paruor. & quod factum fuerit sit nullum ipso iure, & quilibet de Viscontaria, qui aliquid pro eis diceret soluat libras quatuor paruorum.

De solutione Ambasciatorum.

QVod si contigerit Ambasciatores ire pro facto aliquo Communis habeat singula die, siue iuerit per Terram, siue per nauim, siue equestres extra dictam Viscontariam solidos viginti paruor. & expensas nauium, aut equorum, & similiter quadrigarum, etsi per nauim iuerint illi, qui per vexendam illos conduxerint habeant pro quolibet ipsorum solidos octo paruor. & decadetur eis suam vexendam.

De descriptione Bladorum.

ITem, quod omni anno in Mense Nouembris teneatur D. Vicecomes facere fieri descriptionem omnium Bladorum, & Farinarum, quæ reperiantur in fundo, & Viscontaria Adriæ singula singulis referendo, & eligatur vnus fidelis Notarius, qui vadat cum duobus Ciuibus expertis eligendis per Consilium, & vno Præcone Communis faciendo dictam descriptionem, & perquirendo Domos vbicumque eis videbitur perquirendum, debeant autem ipsi Notarius, & Ciues antequam Domum perquirant interrogare habitantes in Domo illa, qui dicant, & ostendant eis omnia blada, quæ habent. Et si vltra illa blada, quæ illi de Domo dixerint, aut monstrauerint reperietur aliqua quantitas bladorum per ipsos Officiales, quæ non fuerit monstrata; tunc talis non monstrans, & non dicens se habere illa blada incurrat pœnam solidorum duorum paruor. pro quolibet Stario, quarum pœna medietas sit inuenientium, alia medietas sit Communis teneatur autem D. Vicecomes per octo dies ante talem descriptionem facere publicè fieri cridam, quod quilibet debeat mostrare omnia blada sua Officialibus, qui ibunt ad faciendam descriptionem Bladorum, sub pœna solidorum duorum paruor. pro quolibet Stario, non mostrato. Item, quod dicti Officiales deputati ad describendum Blada teneantur eo tempore facere descriptionem buccarum, & personarum existentium, & habitantium in tota Viscontaria, & teneantur Patres familias, vel illi, qui erunt in Domo nominare omnes personas in dicta Domo habitantes sub pœna solidorum decem pro qualibet bucca non nominata, quæ pœna applicetur pro dimidia Communis, & alia dimidia accusatori, & quilibet possit esse accusator, & tenebitur secretus.

Quod nemo possit fabricare in Adria Domum de Cannis.

QVod nemo possit fabricare, aut fabricari facere in Terra Adriæ Domum aliquam magnam aut paruam de cannis, videlicet à latere Castri tantum intra Terram pœna, & banno librarum vigintiquinque paruor. cuilibet contrafacienti, & deriuatur dicta Domus expensis construentis, vel construi facientis.

Quod

Quod nullus destruat Domum causa vendendi Lapides.

ITem quod nullus Habitator Terræ Adriæ destruat, vel destrui faciat Domum causa vendendi lapides, eius Domus, vel donandi, vel alienandi pæna librarum decem paruor., & amittendi lapides, & ligna dictæ Domus.

Quod omnes condemnationes perueniant in Commune.

STatuimus, quod omnes condemnationes cuiuscumque conditionis, & mulctæ quæ fierent in Terra Adriæ, & eius districtu per Viceconitem sint, & esse debeant integraliter dicti Communis Adriæ, exceptis portionibus accusatorum, quibus prout prouisum est per præsentia Statuta obseruetur, & tamen sit ad beneplacitum Illustriss. D. March.

Finis Primi Tractatus.

TRACTATVS SECVNDVS.

De Ordinatione, & Decisione Causarum Ciuilium Ciuitatis, & Terræ Adriæ.

De Citatione.

STatuimus, quod vbicumque res, vel actionis, vel testium, vel alterius cuiuscumque personæ Citatio sit necessaria, si talis persona citanda habitet in Viscontaria Adriæ sufficiat eam tantum semel citari, siue personaliter, siue ad domum suæ solitæ habitationis notificando citationem ad dictam Domum alicui de sua Familia, si aliquis ibi repertus fuerit; Quod si ibi nulla persona reperiatur maior quatuordecim annis, de quo stetur iudicio ipsius Præconis sufficiat affigere cedulam citationis ostio domus talis citati si cedula habuerit, quod si cedulam non habuerit sufficiat notificare ad Domum vnius ex proximioribus vicinis, nec aliquod peremptorum exigatur; teneatur tamen ipse Præco quolibet casu dicere personam, ad cuius instantiam citetur; si autem persona citanda non habuerit habitationem in Viscontaria Adriæ, citetur publicè ante Lodiam Communis per Præconem alta voce exprimendo clarè, & intelligibiliter quis citetur, & de cuius mandato, ad cuius instantiam, & qua de causa, & ex cuius Notarij actis, & quod infra tres dies continuos debeat comparere ad respondendum, vel ad defendendum, &c. Et vltra hoc cedula hæc omnia continens ad Columnia Lodiæ per Præconem affigatur, & affixa dimittatur, vt omnibus innotescat; De qua citatione, & cedulæ affixione teneatur Præco facere relationem Notario, & Notarius teneatur ipsum in actis scribere; Et dicto termino finito iterum semel volumus eumdem eo modo, & forma citari, & in casibus prædictis stetur relationi Præconis, nisi is, cuius interest statim paratus esset probare contrarium; Quo casu volumus eum audiri contra ipsum Præconem, qui aliter dicat retulisse; Quibus citationibus, vt supra factis, & citato non comparente, si is, qui fecit eum citari comparuerit, & contumaciam eius accusauerit, procedi possit contra ipsum citatum, tamquam contumacem, nec requiratur aliquod peremptorium.

Quo die citatus debeat comparere.

CVm autem in sua potestate habeat quando vtatur suo iure, is autem, cum quo agitur non habeat potestatem quando conueniatur. Statuimus, quod debeat comparere die proxima sequenti post citationem, quæ sit iuridica, & si simpliciter citauerit, intelligatur ille citatus

tatus pro prima die proximè sequenti iuridica; Nisi specialiter, & expræsse per Iudicem, coram quo citatur Præconi fuerit mandatum, quod citet eum pro hodie, vel statim veniat, quo casu teneatur Præco hoc exprimere citato; qui si personaliter inuentus fuerit, & mandatum non adimpleuerit possit accusari sua contumacia, & contra eum tamquam contumacem procedi, nisi iusto, & legitimo impedimento detentus fuerit: Vicecomes autem aduertere debet, ne tale mandatum faciat, nisi ex aliqua iusta causa: Vbi autem non fuerit inuentus, tunc possit comparere die sequenti non obstante tali mandato, & prædicta locum habeant, nisi talis persona fuerit personaliter inuenta, & citata in Terra Adriæ antequam Campana, quæ pulsatur, quando Vicecomes vadit ad Tribu nal pulsauerit, tunc enim talis citatus, et ille ad cuius instantiam citatus est, teneatur comparere ea die; aliás is, qui non comparuerit habeatur pro contumace alio comparente, et eius contumaciam accusante.

Quod non subiectus non audiatur nisi fide iubeat.

QVandocumque aliqua persona, quæ non subiacet Iuri Communis Adriæ, nec substineat onera, nec grauamina cum dicto Communi, vel cum aliquo Commune dictæ Viscontariæ cuiuscumque conditionis, dignitatis, status, gradus, et qualitatis existat in iudicio comparuerit petendo sibi ius fieri contra aliquem subiectum iuri dicti Communis Adriæ, non audiatur, nec ei ius fiat, nisi idoneè satis dederit de lite prosequenda, et de expensis reficiendis, si sucumbet, vel saltem iurauerit ad Sancta Dei Euangelia secundum formam iuris, se fide iussionem dare non posse, et posset Vicecomes ex suo officio, etiam nemine instante talem aggentem repellere; satisfatione autem petita, et non præstita, vel non præstito iuramento, vt Sancta, quicquid autem est sit ipso iure nullum, nisi de aduersarij consensu processerit expresse.

Si citatus comparuerit aduersario non comparente.

SI quis citatus coram Vicecomite venerit, et se præsentauerit coram eo vsque ad horam debitam, et aduersarius, qui fecerit eum citari non comparuerit, vel non petierit coram Vicecomite, ipso facto intelligatur condemnatus citato in solidos quatuor paruor. et statim Vicecomes faciat ipsum grauari in dictis solidis quatuor, nisi iusta causa superueniente fuerit impeditus.

De pœna testis citati, & non comparentis.

SI quis citatus ad testimonium perhibendum, et non venerit condemnetur pro Criminali causa in solidos decem paruor. et pro Ciuili causa in solidos octo paruor. et nihilominus cogatur testimonium perhibere.

De modo, & forma procedendi in causis non excedentibus summam.

FInem litibus breuissimum imponentes Statuimus, quod in causis verè, seu verisimiliter non excedentibus summam, vel extimationem librarum trium paruor. Dominus Vicecomes habeat mærum, et liberum arbitrium in procedendo, cognoscendo, et decidendo sola facti veritate inspecta, et per iuramentum ab eo defferendum petenti, vel conuento, etiam sine confectionis scripturæ, prout ei videbitur, circumscriptis omnibus solemnibus iuris, et Statutorum Adriæ; Nec Iudex sindicari possit, et à sententijs de, et super ijs latis, vel à præcetis de soluen. non possit appellari, nec de nullitate quæri. In causis verò excedentibus summam librarum trium, non possit Vicecomes eas expedire, ac cognoscere, nisi ad suum Tribunal hora iuridica, nisi ambæ partes vna cum dicto Vicecomite consentirent alibi, et alia hora cognosci, aut terminari.

ITem, quod in caufis excedentibus fummam librarum trium ufque ad libras V. paruor. fufficiat actorem exponere verbo coram Vicecomite id, quod petit, vel fimiliter negare, ex quo fibi iuftitiam fieri petit abfque alia petitione in fcripturis oblata, dummodo per Notarium de medio in actis fubftantia fuæ narationis defcribatur.

ITem, quod in caufis excedentibus fummam librarum trium paruor. vfque ad fummam librarum X. paruor. inclufiuè fimiliter Vicecomes habeat arbitrium in procedendo, et cognofcendo, remota omni folemnitate, prout ei vifum fuerit, fed in decidendo requirimus femiplenam probationem cum iuramento defferendo ab eo ei, qui femiplena probauerit, vt infra dicetur; femiplenam autem probationem fieri etiam per libros Mercatorum, aut fic eis credatur vfque ad quantitatem librarum quinque paruor. cum iuramento illius Mercatoris; & hoc fi talis Mercatoris Libri fint in principio fui benè, & congruè intitulati, vt moris id bonorum, & proborum Mercatorum, etiam fi poft, per quas probare intendunt contineant expreſsè, vel implicitè Annum, Menfem, Diem, & perfonam dare debentem, & caufam, & non appareant in aliqua vitiate, fed omni careant fuperftitione. Poffint etiam dictæ caufæ, & cæteræ aliæ cuiufcumque fummæ dirimi per Sacramentum à parte parti fpontaneè delatum, fecundum, & prout iura permittunt, & à fententijs, & decifionibus fuper, & de ijs latis, vel à præceptis de foluendo, vel fatisfaciendo fuper ijs emanatis non poffit appellari, fupplicari, Reftitutio peti, vel de nullitate quæri, & fi quis in fraudem præfentium Conftitutionum partem vnius, & eiufdem debiti eodem tempore facti petierit, & partem omnis erit, intelligatur pars omiffa, & non petita ipfo facto folutam, ita quod amplius peti non poffit.

De Modo, & Forma procedendi in Caufis excedentibus fummam Librarum X. paruor.

IN caufis verò excedentibus Summam Librarum X. paruor. vfque ad Summam Librarum XXV. paruor. inclufiuè facta naratione per actorem verbo coram Domino Vicecomite, & in fcriptis per Notarium in Actis redacta, & citato Reo vt fupra dictum eft. Si Reus non venerit legitimo tempore expectatus pignoretur per Præconem Communis, vt fic tedio affectus veniat refponfurus, nec reftituatur ei pignora, nifi refectis expenfis Contumaciæ, fi autem pignoratus non venerit Vicecomes, fi hoc actor ellegerit procedere ad vlteriora, per quem Proceffum lis habeatur pro quafi conteftata, & ftatuere vtrique parti terminum quindecim dierum continuorum ad excipiendum, & probandum per omne genus probationum, & producendum quicquid voluerit in caufa, quem terminum Vicecomes poffit ampliare pro Teftibus tantum, & Inftrumentis, quæ effent ex Territorium inducendis, dando eis patentibus ante termini ampliationem prius Iuramentum ad Sancta Dei Euangelia, tactis Scripturis, quod hoc non petunt, nec faciunt dolo, nec calumnia, nec animo protelandi litem, fed potius, quia ipfis Teftibus, & Inftrumentis indigent ad probationem iuris fui, & tunc, & eo cafu affignetur ei terminus competens, fed femel tantum fecundum locorum diftantiam, & negotij qualitatem, infrà quem dicti Teftes recipi, & examinari poffint fecundum debitam iuris formam, eorumque dicta Vicecomiti pręfentari, & ipfa Inftrumenta produri, & in eo termino affignato poffit etiam altera pars oftendere, & probare de iure fuo. Quo termino procedente non currant termini præfentium Coftitutionum, nec termini dati ad probandum, vel reprobandum, fed eo finito currant, qui ante decurfi non erant. Hoc autem cafu qua Actore præfente affignatus eft terminus abfente reo, teneatur Notarius actore petente, vel non per Cedulam dandam vni ex Præconibus Communis ipfi Reo perfonaliter, vel ad domum fuæ habitationis intimare, quod ad inftantiam talis actoris, qui ab eo petit libras XXV. ex tali caufa propter eius contumaciam tali die, & hora iuris per Dominum Vicecomitem fuit vtriqne parti affignatus terminus quindecim dierum continuorum ad excipiendum, & probandum per omne genus probationum, & producendum quicquid voluerit in caufa; Vndę ex parte dicti Domini Vicecomitis eum citat, & admonet, quatenus fingulis diebus, & horis durante termino prædicto fe de-

debeant præsentare coram ipso ad videndum produci Capitula, Libros, & Instrumenta, ac Scripturas, & ad videndum iurare Testes, & alia, quæ circa ipsum Iudicium erunt necessaria, & hæc monitio scribatur per Notarium, & tradatur Præconi qui expensis assertis debitoris cedula, in qua hæc sunt scripta dimittat Reo personaliter inuento, vel ad Domum suæ habitationis affixa, vel alicui de Familia traditam relinquat; & de prædictis teneatur Præco relationem facere Notario, & Notarius scribere in Actis causæ; & similiter etiam ipsi Actori tunc præsenti assignato termino per Vicecomitem fiat monitio prædicta, & scribat in Actis. Quibus monitionibus factis, si erit necesse aliquem ipsorum citari amplius occasione prædictorum, quod si pendente dicto termino, & is comparuerit per se, vel procuratorem legitimum, volumus eum admitti ad prosequendum causam, omnia tamen prius Acta, & gesta in eius absentia, dummodo non habeat eis obstare, valeant, & teneant, ac si eo præsente gesta fuissent; & eo casu audiatur ipse reus, si infra terminum prædictum aliquam exceptionem peremptoriam apponere, aut probare voluerit, ad quam probandum vltra terminum prædictum, in hac instantia causæ principalis audiatur; Vbi autem à principio Reus comparuerit siquidem confiteatur, vel habitus sit pro confesso fiat ei præceptum de soluendo id quod confessus est verè, vel ficto vsque ad decem dies, scilicet de aliquid faciendo ad illum terminum, quod Vicecomiti videbitur, inspectis conditionibus personarum, & qualitatum rerum, & alijs, quæ in talibus sint consideranda, nec à dicto præcepto possint appellari, vel quouis modo quærelari, vel de nullitate dici. Si autem negauerit Vicecomes statuat statim vtrique parti terminum XV. dierum continuorum, vt supra, vt moneat partes, vt singulis diebus, & horis vt supra. Quem terminum, & monitionem Notarius scribat in Actis, nec sit necessaria alia citatio specialis. Si autem Reus à principio comparens exceptionem incompetentis Iudici, vel Fori apposuerit, vel per aliquam partium apposita fuerit exceptio personæ illegitimæ, vel mandati illegitimi, vel quod ellegit locum, vbi debeat citari, vel quod non satisdederit de expensis litis in casibus, in quibus hæc fieri debeant secundum formam Statutorum Communis Adriæ, de illis, & illarum qualitate cognoscatur summariè antequã ad vlteriora procedatur infrà terminum trium dierum pœna Vicecomiti, si fuerit negligens librarum trium paruor. Si verò aliquam exceptionem dillatoriam, vel peremptoriam apposuerit, tunc quælibet earum exceptionum reseruetur cognoscenda tempore, quò de meritis causæ cognoscetur, & disputabitur. Quæ quidem exceptiones sint reseruatæ, & etiam aliæ appositæ postea intelligantur reiectæ, si de ipsis in sententia pronunciatione facienda, in & supra causa principali non fuerit facta mentio. Etsi reus tunc comparens nullam exceptionem apposuerit, vel talem quæ seruari debeat in fine Litis, vt diximus, tunc teneatur ipse Reus respondere per se solum absque præsentia alicuius sui Procuratoris, vel Aduocati petitioni Actoris infrà tres dies proximos sequentes, tunc mandet ei, quod respondeat dictæ petitioni cum hac comminatione, quod eo non respondente infrà dictum terminum, & in ipso termino ipsum habebit pro confesso; et tunc tali comminatione procedente, et petitione ei ad intelligentiam data, et eo termino non respondente habeatur ipso iure pro confesso, si de prædicta comminatione, et aliis constet in Actis Notarij de medio, et tunc fiat ei præsenti, vel absenti addi hoc legitimè citato præceptum de soluendum, et faciendum id quod petitum fuerit infrà terminum, infrà quem fieri debet, si expresse confitetur, vt supra dictum est, et tale præceptum non possit quouis modo quærelari.

Et si auxerit vel diminuerit terminum Vicecomes ad respondendum dictæ petitioni infrà ipsum si non venerit procedatur, vt supra dictum est, quando Reus in termino non comparuerit. Elapso autem dicto termino probatorio XV. dierum partibus sic vt supra assignato, & eius applicatione, si ampliatus fuisset pro testibus, & Instrumentis existentibus extra territorium Viscontariæ ipso iure omnia publicata sint, & esse intelligantur, & fiat copia patenti. Et nihilominus sit, et esse intelligatur ipso iure Statutus terminus octo dierum continuorum ad apponendum quicquid voluerint, et ad reprobandum quæcumque gesta, et probata in primo termino, et monitiones hinc inde factæ esse intelligantur, quod singulis diebus, vt supra dictum est in primo termino. Et si aliqua partium in prædicto termino re-

probatorio produxit aliquid ad reprobandum producta, & probata per alteram partem in priori termino probatorio teneatur ea producere præsente parte, vel ad hoc legitimè citari, tunc liceat autem ipsi parti, contra quam producta fuerunt, & cuilibet alteri, cuius intersit coadiuuare, & corroborare per legitimas probationes producta, & probata in primo termino. Adeo quod si cui partium visum fuerit probasse semiplenè poterit petere à Vicecomite, vt Sacramentum defferatur ei, cui de iure debeat deferi secundum formam præsentium Statutorum. Quod si à die talis productionis factæ per eum, qui vult reprobare gesta in primo termino non superesset quatuor dies de termino, tunc volumus ipso iure supplere, & supletum esse, intellige id, quod deest ad quatuor dies possit coadiuuare, & corroborare producta, & probata in primo sine alia monitione, vel citatione, specialiter, aut generaliter facienda, quo termino reprobatorio ellapso, quæcumque gesta in eo intelligantur, & sint ipso iure publicata, & de ipsis fiat copia parti petenti, & teneatur Vicecomes auditis allegationibus partium, si quid dicere voluerint, & omnibus examinatis causam per sententiam terminare, quam celerius potest. Nec possit aliqua partium petere causam committi Consilio Sapientis, nec appellare, nec quærelare.

De modo, & forma procedendi in Causis excedentibus summam Lib. XXV. paruor.

IN causis verò, litibus, vel controuersijs verè, vel verisimilis & excedentibus summam, vel extimationem librarum xxv. par. quæcumque sit res vel factum quod petatur, & quantæcumque summæ, vel extimationis, disponimus, quod sit in arbitrio creditoris facere citare debitorem, qui veniat ad soluendum debitum, vel faciendum id, ad quod tenetur ante oblationem libelli, & non comparente, seu comparente, & non conficiente qualiscumque in scriptis porrigatur Petitio, in qua legitima naratione facta sufficiatur, si in conclusione dicatur. Quare peto mihi in prædictis iustitiam fieri, & ministrari; post eam petitionem oblatam citetur Reus cum cedulla, in qua continetur sub breuitate saltem causa generalis, & ad cuius petitionem, & coram quo Iudice; & quis est Notarius, & quod prima die iuridica sequentis post citationem debeat comparere, & dimitatur Reo dicta cedulla personaliter inuento, & si non fuerit inuentus, tunc ad domum suæ solitæ habitationis, vni de sua familia dimittatur, vel Ostio suæ habitationis affigatur, & affixa dimitatur, & teneatur Præco reffere, & Notarius scribere diem, quam dederit, vel dimiserit, vel affixerit dictam cedullam; & siue reus comparuerit in termino sibi assignato, siue non, siue confiteatur, siue neget, siue excipiat, procedatur modo, & forma, quibus supra dictum est, & omnia quæ dicta sunt, quando id petitur est extimationis librarum decem vsque ad libras XXV. intelligantur hic repetita, hoc addito, quod primus terminus, qui datur Reo ad respondendum libello sit, & esse octo dierum, vt interim Reus possit consilium petere, & deliberare, si vellit cedere, vel contendere in casu, quo verisimiliter non habeat scientiam, vel notitiam rei, de qua agitur, terminus probationis sit XXV. dierum, & non possit augeri, nisi pro Testibus, & Instrumentis, quæ dicerentur esse extra Territorium, vt supra, terminus autem probationis sit XV. dierum continuorum, & quod dictum est supra de quatuor diebus, qui debent superesse post productionem articulorum, vel capitulorum; et si non supersint debeant intelligi dati aduersæ parti, intelligatur hic de sex diebus; Quo termino reprobatorio ellapso quæcumque gesta intelligantur publicata ipso iure, & de eis fiat copia parti petenti: Hoc etiam addito, quod in iudicijs realibus, vel eius naturam sapientibus, si Reus contumax fuerit in non vendendo, vltra remedia supradicta possit Actor petere à Vicecomite, & Vicecomes teneatur eo hoc petente facere reum iterum citari cum comminatione; quod eo non veniente mandabit, & induci faciet actorem in possessione rei petitæ, & hæc comminatio fiat in scriptis, & per Præconem ei inuento scripta ipsi tradatur, & non inuento ad domum suæ habitationis dimittatur, vt supra, & eo in contumacia perseuerante, Actor hoc petens in possessionem rei mittatur, & si ellegerit alia remedia fiat, vt supra dictum est, secundum valorem rei, vt supra. Hoc etiam addito, quod vbicumque dubitatur, an extimatio excedat XIII. vel XV. libras par. stetur Sacramento Actoris deposito

de

decredulitate, quoad terminos præsentes: Hoc etiam addito, quia iudicia claudicare non debent, quod in ijs causis excedentibus summam librarum XXV. sicut actori permisimus in absentia rei citati ad vlteriora procedere ita permittimus Reo venienti ad respondendum petitioni actoris infra terminum sibi assignatum respondere dictæ petitioni ipsius actoris absentiam, & hoc expectato actore vsque ad vltimum peremptorium, & eo sic in vltimo peremptorio respondente, siue excipiendo, siue negando, siue confitendo procedatur vt supra dictum est, teneatur Notarius eius responsionem scribere in actis sub pæna solidorum decem paru. de facto ab eo auferendorum per Vicecomitem, & applicanda Communi, & dictam responsionem faciat idem Notarius per Præconem intimari parti actoris, & termini assignationem, & alia, prout supra dictum est expensis actoris, vt sic sciat, quod sibi incumbit facere teneatur pars actoris soluere Præconi, & Notario id, quod iustum fuerit pro intimatione prædicta.

De modo, & forma ellectionis Consultoris, & Consilij reportandi.

ELapso autem termino reprobatorio in ijs causis excedentibus summam librarum XXV. par. immediatè statutus sit, & esse intelligatur ipso iure cuilibet partium terminus octo dierum continuorum ad petendum à Vicecomite causam committi consilio sapientis, & sufficiat altera partium petere, & Vicecomes causam committere, & cogantur partes dare confidentes, & ille, qui prius datus est, in quem partes concordauerint sit consultor statimq; ellecto consultore teneatur is, qui petit causam committi consilio sapientis solicitare faciendo præcipi Notario sub certa pæna, quod infra terminum competentem det copiam omnium scripturarum, & actorum D. Vicecomiti recepta competente mercede ab vtroque parte; Ita quod vnusquisque soluat pro actis suis, pro actis autem comunibus soluant comuniter, Dominus autem Vicecomes de facto ad instantiam eius, qui consilium petit cogat aduersarium soluere id, quod ad eum spectat, & sufficiat, si Notarius non possit commode illa acta, & scripturas scribere, & accopiare, quod sit facta copia manu cuiuscumque personæ, dumodo sit manu ipsius Notarij de medio subscripta, teneaturque solicitare, & instare, quod ipse Vicecomes liget dictas scripturas, & suo sigillo sigillet, & scribi faciat litteras dicto Consultori continentes in effectum, quod in tali causa vertente coram eo, inter talem actorem, & talem reum, ipse consultor ellectus est secundum formam statutorum, quare trasmittat ad eum omnia acta causæ, & copiam omnium actitatorum, & productorum, & rogat eum, quod vellit causam diligenter examinare pro vtraque parte, & secundum quod sibi visum fuerit de iure omnibus ponderatis sine fraude, & dolo consulatur in causa Deum semper præoculis habendo, & Consilium suum clausum, & sigillatum vellit transmittere; Quas Scripturas, & litteras receptas à D. Vicecomite teneatur ille idem portare, & seu portari facere consultori, & præsentare illi, & cogant etiam partes ad deponendum salarium consultoris, quod vna cum dictis scripturis, & littera, et mittatur, et tradatur, & solicitare, & instare debeat, quod ipse consultor credat consilium, & scripturas, & eas reditas ad Vicecomitem portare, seu portari facere, & ei præsentare, & hæc omnia facere teneatur prædictus, qui petit causam comitti consilio sapientis suis expensis; quas tamen recuperare possit ad aduersario eatenus, quatenus fuerit aduersarius in expensis legitimè condemnatus, & aliter non. Vbi autem consilium, & litteræ productæ D. Vicecomite præsentatæ fuerunt teneatur is, qui consilium petit infra tres dies proximè sequentes facere citari aduersarium ad audiendam sententiam, quo citato, siue partes venerint, siue non, teneatur Vicecomes in vltimo peremptorio Consilium apperire, & secundum, & prout in consilio continetur pronunciare, condemnare, vel absoluere teneatur.

De Salario Consultorum.

ET costituatur Salarium Consultorum, quod, & prout videbitur D. Vicecomiti dumodo sufficienter, & condecenter inspecta qualitate facti.

De Pupillis, & Minoribus, & Filijs familias cum Patre.

QVia multoties ij, qui in iudicio vocantur non habent legitimam personam standi in iudicio, vt sunt Pupilli, Adulti, Filij familias, Mentecapti, Furiosi, & similes, prouidamus, & Filij familias seorsum à Patre habitantes possint agere, experiri, & conueniri, vt Patres familias, ita quod legitimam personam vtroque casu dicantur habere. Vbi autem non seorsum, sed cum Patre in eadem familia habitauerint, tunc non audiantur agere volentes, nisi consensus, & auctoritas patris processerit, saluo si essent bona Castrentia, vel quasi, pro quibus agerent, Conuenti verò audiantur se deffendentes, etiam absque aliquo patris consensu, & personam legitimam intelligantur habere, nullum tamen præiuditium isto casu volumus fieri patri in vsufructu, quem pater dicetur habere in bonis, & rebus, pro quibus sunt conuenti, nisi pater ratione sui vsufructus conuentus fuerit, vel filio deffendenti consensum, & auctoritatem præbuerit.

Adulti verò, & Pupilli per se agentes non audiantur sine auctoritate eorum curatorum generalium, vel ad litem, tamen audiantur, possit etiam Tutor solus pro Pupillo, & Curator pro Adulto experiri, agendo, & deffendendo; Vbi autem Adultus esset conuentus, & compareat sine Curatore legitimo, volumus Curatorem ad litem etiam ei inuento dari, per quem, vel eius auctoritate deffendatur, & hoc si Curatorem generalem non habuerint, alias ille generalis citatur ad deffensionem eius, & compellatur remedijs oportunis, & si absens reperiretur, tunc Curator detur ad illam litem tantum, vt supra, & vbi Adultus non compareat, tunc pignoretur toties, & quoties opus fuerit donec compareat, nec pigno ei restituatur, nisi refectis omnibus expensis propter contumaciam factis, & ei tunc comparente Curator detur vt supra, & similiter Pupillo Tutorem non habenti volumus Curatorem dari saltem ad litem, qui eum deffendat in causa, & si tutorem habuerit, volumus tutorem citari debere, & contumacem pignorari in proprijs bonis, toties, quoties opus fuerit, donec compareat, & Pupillum deffendat per se, vel Procuratorem, quem legitimè costituat, nec pignora ei restituantur, nisi reffectis expensis propter contumaciam eius factis, & eo respondente; & si ignoretur à Pupillis Tutorem habuerit citetur ipse Pupillus pro quo possit ipse, & quicumque alius de familia sua, vel quicumque eius vicinus, vel amicus comparere, & Vicecomiti allegare, quomodo citatus est Pupillus, & qui caret Tutore, & tunc Vicecomes de Tutore saltem ad litem prouideat secundum, & prout iura requirunt, & tutor illum Pupillum deffendere teneatur, & interim donec Pupilli, & Adulti, & similes non comparuerint legitimi non currant termini, de quibus supra diximus.

De Positionibus, & earum Responsionibus.

CVm Positiones plerumque fiant in causa, vt ponens releuatur ab onere probandi, prouidemus, quod tam Actor, quam Reus, & cuiuslibet eorum Procurator possit positiones facere, & petere eis responderi, & quod is, contra quem ponitur, possit per se, vel per Procuratorem legitimum respondere, si positiones contineant factum alienum, si verò contineant factum proprium, tunc moneatur Principalis si fuerit præsens, quod debeat respondere absente Procuratore, antequam Vicecomes discedat à Banco cum comminatione, quod eo non respondente pronunciabit ea pro confessatis haberi; & si non fuerit præsens, tunc citetur cum cedula, quod die proximè sequenti post citationem debeat in iudicio comparere ad respondendum Capitulis per alteram partem productis cum comminatione, quod eo non respondente in termino Dominus Vicecomes pronunciabit illa haberi pro confessatis, & eo in dicto termino non veniente ad respondendum iterum fiat alia citatio sub simili forma, & etiam citetur Procurator bis, vt venire faciat eius Principalem ad respondendum, vbi autem Principalis præsens monitus cum comminatione, vt supra, vel etiam absens bis citatus, vt supra, non responderit, citato etiam bis Procuratore, vt supra, tunc teneatur Vicecomes instante altera parte pronunciare ipsa Capitula, & positiones haberi pro confessatis, à qua pronunciatione non possit appellari, vel aliquo modo quærelari,

ri, vel de nullitate dici: Vbi autem Capitula contineat factum alienum, tunc Vicecomes faciat dari parti copiam dictarum positionum, & assignet ei terminum pro prima hora Iuridica, sequentis ad respondendum, & tunc etiam admittatur Procurator, qui in mandatis habeat, quod possit respondere positionibus, licet de certa speciali responsione facienda in mandatis non contineatur ideo autem per præsentes prouisiones singulos ad iudicia Procuratores costitnentes monemus, vt denteis in mandatis, quod respondere possint positionibus scientes, quod si in mandato ipsorum hoc non contineatur eos sufficientes ad causam agendam, vel deffendendam non reputamus, & si eis apponant repelli volumus. Vbi autem mandauerit Vicecomes Procuratori, vel principali, cui decreuit dandam copiam, quod respondeat, tunc ei positionum copia data, si eam petierit, cum termino prædicto, seu alio competenti ad respondendum, prout ipsi Vicecomiti videbitur, teneatur in dicto termino respondere, & possit tale præceptum ipsi præsenti fieri, cum comminatione, quod eo non respondente in termino pronunciabit Capitula pro confessatis haberi, vel etiam ei absenti potest fieri bina citatio cum simili comminatione, vt supra dictum est de principali, & teneatur Vicecomes, si ille Procurator, vel principalis in termino non responderit pronunciare illa Capitula haberi pro confessatis, & isto casu volumus, quod contumacia Procuratoris non respondentis præiudicet Domino, nec à tali pronunciatione possit appellari, nec de nullitate dici, & possit fieri dicta pronunciatio, & aliæ simile, de quibus supra, sine alia citatione partis, contra quam pronunciatur.

VOlumus autem, quod ponens, vel capitulans per se, vel Procuratorem suum corporaliter iurare teneatur tempore, quo producit Capitula, vel positiones ad Sancta Dei Euangelia, quod non calumniare causa ponit singula, quæ ponit, sed quia singula per eum posita vera esse credit simpliciter, quod ille, contra quem ponitur; antequam respondeat teneatur corporaliter iurare ad Sancta Dei Euangelia, quod ipse respondebit, prout crediderit esse veritatis; & vtriusque iuramentum ponatur in Actis, & sufficiat si respondeat per verbum (credit,) vel (non credit) teneaturque Vicecomes tali respondenti ipsas positiones legere, & vulgariter exponere, & declarare, & positiones implicitas explicare, & diuidere, ne sub inuoluto verborum ille talis respondens decipiatur, & ne responsio differatur, prouidemus, quod si exceptio positionum impertinentium, & non admittendarum apponatur, quod illa non obstante, nihilominus respondere cogatur, possit tamen Dominus Vicecomes ex Officio positionem, quam viderit manifestè impertinentem, vel non admittendam reijcere statuentes, quod si Consultor assumptus in causa, vel Vicecomes vbi Consultor non sit assumptus tempore examinationis causæ cognouerat positionem, contra quam dicta exceptio apposita fuerit, impertinentem, & non admittendam fuisse, tunc ex responsione eidem petitioni facta nullum præiudicium generetur, vel generatum esse, vel fecisse intelligatur respondenti, nec suo principali. Prouidemus etiam, quod si pars, contra quam ponitur, vel eius Procurator negauerit positionem de facto proprio Domini, vel de alieno, quod verisimiliter tunc scire potuerit quæ postea per ponentem probetur, intelligatur pars, negans ipso iure, & de facto condemnata in Libris duabus paruor. pro qualibet positione negata, quarum medietas applicetur Communi, & alia medietas parti oneratæ in probando, quæ de facto exigatur ab eo, qui negauit realiter, vel personaliter per Vicecomitem, coram quo causa vertitur, pœna Vicecomiti si fuerit negligens soluenda de suo tempore Sindicatus; declarantes, quod ex negatione Procuratoris ipsum Principalem intelligimus dictam pœnam incurrisse, nisi Procurator motus fuerit, ex iusta causa ad negandum, tunc enim nec ipse Procurator, nec Dominus in pœnam incidat. Vbi autem Procurator malitiosè negasset, quare sciuisset rem aliter se habere, tunc Procurator, non Principalis in eam pœnam incidat, & si Principalis soluisset possit à Procuratore repetere.

Cui, & quando defferi debet Sacramentum in supplementum semiplenæ Veritatis.

PRouidemus, quod si veritas Rei, supra qua debet Sacramentum defferi, cadat in notitiam vnius tantum, idest Actoris, vel Rei, tunc Sacramentum defferatur ei soli in cuius notitiam cadit veritas Rei, supra qua deffertur, si autem cadat in notitiam vtriusque partis, tunc si Actor semiplenè probauerit intentionem suam, & Reus nullam exceptionem apposuerit, vel appositam nullo modo approbauerit, tunc Actori Sacramentum defferatur. Vbi autem Actor semiplenè probauit intentionem suam, & Reus semiplenè suam exceptionem, & exceptio Rei sit directæ intentioni Actoris contraria, vel contraditoria, & si intentio Actoris, & exceptio Rei non sint inuicem compassibiles, tunc absque iuramento Reus absolutus, quia probationes inuicem conquassantur, & perindè est, ac si nihil probatum esset ex parte Actoris, & idem.......... multo fortius, si Reus dictam exceptionem plenariè probasset. Vbi autem Actor plenè probauit suam intentionem, & Reus semiplenè exceptionem suam, tunc siquidem exceptio sit directè contraria intentioni Actoris, & per consequens non sit ei compassibilis, tunc absque iuramento Reus condemnetur Actori, & perindè est, ac si nihil probasset. Si autem exceprio per eum apposita se compatitur cum intentione Actoris, vt est videre exceptionem pacti de non petendo ius iurandi solutionis, & similiter tunc, licet Actor probaret semiplenè intentionem suam ipsi Reo; qui semiplenè probauit exceptionem huiusmodi, Sacramentum super huiusmodi exceptionem defferatur, quo in sui fauorem ab eo præstito ipse Reus definitiuè ab intentione Actoris absoluatur. Vbi autem illud, super qùo Sacramentum debet defferi, non cadat in notitiam alicuiùs partis, tunc locus non est delationi Sacramenti, Ideo Vicecomes absoluat, vel condemnet, proùt de iùre tenetur.

Quod Præcones possint citare sine Commissione Vicecomitis.

STatuimus, quod quilibet Præco possit ad instantiam cuiuslibet habitantis in Visconta-ria Adriæ citare quemlibet absque commissione Vicecomitis, vel Notarij, teneaturque in relatione sua dicere Notario diem, qua citauerit, & teneatur relationem facere ea die, vel sequenti post citationem pœna solidorum quinque paruor. qualibet vice, si fuerit negligens, non aliter valeat.

De pignoribus faciendis per Præcones.

ITem, quod nullus Præco Viscontariæ possit ire ad pignorandum aliquam personam aliqua de causa, sine expræssa licentia manu Notarij bullata manu Vicecomitis, exceptis pro facto Domini Marchionis, & Communis Adriæ; & quod quilibet Præco, cui sit commissum accipere pignus, vel tenutam de bonis alicuius, accipere debeat tale pignus, vel tenutam, quæ possit vendi, vel pignorari vsque ad summam debiti, & expensarum, si apud debitorem poterit inueniri, vel de eius bonis, & si non poterit in totum, saltem accipiat ad summam, quam potest, alioquin si opportuerit accipi aliud pignus, vel tenuta quod dictus Præco teneatur ire acceptum dictum pignus, vel tenutam sine aliqua solutione, sub pœna decem solidorum paruor. nisi ille, ad cuius domum iuerit, vel aliquis de sua familia, vel aliquis alius noluerit ei accipere pignora, vel tenutam, quo casu teneatur reffere Notario tenutam, vel pignus sibi vetitum fuisse; qua relatione facta, & per Notarium scripta sit in ellectione eius, ad cuius instantiam missus fuit accusare talem de pignore vetito, qui condamnari debet in solidis decem paruor. vel petere licentiam à Vicecomite faciendi dictum talem pignorari per vim omnibus expensis ipsius, qui pignus vetit, quæ licentia per vim tradatur Præconi, qui eam exequatur, teneaturque Dominus Vicecomes dare ipsi Præconi hominem pro tali executione facienda, prout videbitur opportunum, nec possit aliquis alius ad instantiam alicuius personæ, vel Officialis etiam pignorare aliquem, vel aliquam

te-

tenutam facere, nisi cum Præconæ pœna cuique solidorum XX. paruor. pro qualibet vice ei de facto auferenda, & restituendi pignus, si quid acceperit sine aliqua solutione, & tenuta ipso iure sit nulla; Si quis autem pignoratus cum Præcone, & hominibus vetuerit dare pignora, & ressistentiam fecerit ipsis volentibus per vim pignora accipere, tunc ipso facto incurrat pœnam librarum quinque paruor. de quo relationi Præcouis, cum iuramento vnius testis, acceptis autem pignoribus, teneantur, & debeant Præconis tenere computum pignorum acceptorum per eos, & reffere Notario, de manu cuius habet licentiam accipiendi pignora, tale pignus habuisse à tali, & qualitatem pignorum infrà tres die, à die acceptis pignoribus, & tendatur pignora custodire, & conseruare, nec possit ei aliquod eorum pignori dare præstatori pro aliqua quantitate, nec pro expensis, nisi post dies octo à Die, quò acceperit dicta pignora, nisi pignora fuissent accepta pro facto Cameræ Illustrissimi Domini Marchionis, vel pro facto Communis Adriæ, quæ statim possint pignori prohabita licentia, vt infra dicetur. Elapsis autem octo diebus possint dicta pignora pignori dari creditori pro credito, habita tamen prius licentia, ut supra dictum est, aut extimari debeant ipsa pignora per Extimatores iuratos Adriæ, & in solutum pro extimationi dari Creditori, aut vendi ad Incantum, quod sit tamen in ellectione Creditoris; nec possit ipse Præco aliquod pignus restituere, nisi visa, & retenta licentia in scriptis manu Notarij sigillata Sigillo Vicecomitis, pœna cuilibet contrafacienti in qualibet parte, & pro qualibet vice solidorum X. paruor. & vltra hoc teneatur parti ad interesse, adijcientes quod Præcones prædicti vbicumque possint habere pignora portabilia illa accipere teneantur, nec possint accipere tenutam de aliquibus rebus, nisi eis clarè constituerint, quod pignora portabilia habere non possint. Vbi autem debitor non voluerit dare pignora portabilia, nec permittat perquiri domum, licet afferat tenutam, tunc possit accusari de pignore vetito, & contra eum procedi secundum formam præsenti Statuti. Et si pignora haberi non possint, accipiant tenutam, quam possint, & teneantur facere conduci ad instantiam Creditoris infra terminum trium dierum à die, à quò accepta fuerit, quæ tenuta statim possint vendi publicè ad Incantum pro expensis, & debito Principali, & hoc sub pœnis prædictis.

De Quærelis factis contra Præcones.

STatuimus, quod quærelis factis de Præconibus, qui dicerentur circa Officium suum deliquisse Dominus Vicecomes habeat liberum arbitrium plenum inquirendi, procedendi, nunciandi, & puniendi vltra pœnas in Statutis taxatas, inspecta qualitate facti, & fraudis, & delicti per eum, vel eos commissi.

De Salario Præconum.

NE Mercenarius sua mercede fraudetur, Statuimus, solutiones faciendas esse Præconibus per modum infrascriptum, videlicet pro qualibet citatione, vel ambasciata in Terra Adriæ, vel eius Viscontaria denarios quatuor paruor. pro quolibet sequestro vbicumque facto solidum vnum paruor. de quolibet pignore, vel tenuta solidum vnum par. & si fuerit extra Terram pro itinere suo videlicet, si fuerit terram in Corbularum solidos VI. par. & si fuerit Isollelam solidos VIII. par. declarantes, quod si primo fuerit extra Terram Adriæ, specialiter ad vnum quid faciendum solum, cum alias tunc non erat iturus seruetur, quod dictum est, & possit tunc etiam alia facere, pro quibus sibi soluatur, vt supra dictum est; sed si ad instantiam plurium personarum, & pro pluribus peragendis iuerit, tunc solum sibi soluatur ab omnibus in totum si iuerit Corbulas solidos tres par. & Isolellam solidos quatuor, vt prædictum est; & pro quolibet pignore, tenuta, vel sequestro, vel simili solidum vnum par., vt supra est expressum.

Quæ sunt causæ summariæ, & quibus potest fieri Pignoratio sine Citatione.

QVia quædam sunt causæ fauorabiles, quæ celeritatem merentur, statuimus, quod in infrascriptis causis procedatur per Vicecomitem summariè de plano sine strepitu, & figura iudicij, sola facti veritate inspecta, & omni tempore, dumodo non sint fe-

riæ inductæ in honorem Dei, & possint pignorari tantum per Præconem absque alia citatione cum hoc, quod si sentiant, sed grauatos debeant comparere, videlicet pro introitibus Illust. & Excell. D. Marchionis pro Datijs Illust. D. N. pro Datijs communis, pro quolibet habere Communis, pro colectis, & alijs oneribus in Communi realibus, personalibus, & mistis pro pecunia, quæ dicatur exacta per quoscumque tam Officialibus Communis, quam specialibus personis ad pecuniam, & denarijs Communitatum Viscontariæ quacumque de causa pro deposito restituendo, pro fideiussore, qui soluit, contra Principalem pro mercede quacumque pro pensione domus, pro Liuellis, pro Affictibus, pro Alimentis, pro rebus, quas perderent, seu restituere denegarent Nautæ Tabernarij, hospites, Reuenditores, pro forensi viatore transeunte, & contra ipsum viatorem, qui in dicta Viscontaria non habeat domum propriam, vel conductam.

De Compromissis inter Coniunctos faciendis.

ET Iurgia, & rancores, & crimina, quæ ex litibus oriuntur inter Coniunctos, quantum nobis possibile est statuimus, quod de quacumq; lite, seu causa ciuili qualitercumq; motta, siue per libelli oblationem, siue per aliquam petitionem inter Coniunctos vsq; ad quartum gradum inclusiuè numerando gradum secundum Ius Ciuile, siue sint Agnati, siue Cognati, siue affines coram Vicecomite, & aliqua partium littigantium petat corã Vicecomite partem aduersam sibi coniunctam compelli ad compromissum faciẽdum de dicta lite, seu causa, quod dictus Vicecomes teneatur vinculo Sacramenti partes ipsas tam realiter, quam personaliter compellere ad compromissum faciendum, & per illum modum, & formam, in qua ambæ partes fuerint concordes, & si discordes fuerint; Quia altera earum petat: compromissum fieri de facto, tam in procedendo, quam in terminando, & altera contradicat, tunc pars contradicens ad hoc compellatur vt supra, & fiat compromissum de omnibus, & singulis contentis in dicto libello, seu petitione porrectis, & dependentibus, & connexis, seu occasionatis ab eisdem cum clausis opportunis, & in talibus apponi consuetis in protum virum agnatum, vel Cognatum, vel cuiuslibet partis amicum; si denuo fuerint concordes, alias si in vno non concordauerint quælibet partium elligat suum Arbitratorem, & hominem honestum, & qui verisimiliter non sit alteri parti suspectus, quod in Vicecomitis arbitrio relinquimus cum potestate cognoscendi, videndi, examinandi, & procedendi de iure, & de facto cum libello, vel sine lite contestata, cum scriptura, vel sine scriptura, nulla iuris, vel statutorum solemnitate seruata ad arbitrandum, sententiandum, pronunciandum de iure tantum, vel de facto tantum, vel mixtim, prout, & melius videbitur, seu visum fuerit pro bona concordia partium omni appellatione, nullitate, in integrum restitutione, vel supplicatione prorsus reiectis, & si contigerit, quod prædicti Arbitratores essent discordes, tunc Vicecomes, cuius auctoritate compromissum factum fuerit, siue eius successor compellat partes ad dandum confidentes, & de nu. confidentium elligat tertium, & tunc id, quod duo ex eis concorditer arbitrati, seu arbitrantati fuerint, illud valeat, & teneat, & seruari debeat, tertio aliter, vel nullo modo arbitrante; & si omnes tres essent varij, vel discordes in eorum laudo, vel arbitramento, tunc laudo, vel arbitramento illius tertij stetur, & ad hoc compromissum sic faciendum volumus etiam pupillos compelli, & cuiuslibet ætatis minores XXV. Annis, & teneantur Tutores eorum, vel curatores supra ijs omnibus, & singulis auctoritatem præstare, & si essent infantes, tutores earum nominibus compellantur, & similiter curatores furiosorum, & mentecaptorum, & his casibus bona dumtaxat minorum, furiosorum, & mentecaptorum sint obligata, non tutor, vel curatorum suorum. Hoc tamen compromissum volumus peti posse vsque ad puplicationem processus, seu vsque ad tempus, quo processus pro publicato habeatur ex forma præsentium statutorum, & non postea, intelligendo de publicatione gestorum in termino probatorio; Aijcientes, quod dictos arbitros, & arbitratores teneatur D. Vicecomes cogere realiter, & personaliter ad laudandum, & pronunciandum, & ad faciendum ea, quæ de iure, & secundum formam compromissi tenentur. Item autem, quod per dictos arbitratorem, vel arbitratores inter partes prædictas fuerit laudatum, pronunciatum, præceptum, vel

vel iusum; illud per D.Vicecomitem executioni mandetur, siue illud fuerit, emollogatum, siue non, quod pro emologato ipso facto haberi disponimus; nec possit ab eorum arbitramentis, aut pronunciationibus in talibus casibus inter coniunctos, vt prædicitur datis appellari, quærellari, Reductio ad arbitrium boni viri peti, aut supplicari, restitutio peti, vel alio modo contrairi.

De petitione reductionis ad arbitrium boni Viri.

ITem; quod in quocumque casu, in quo sit petenda reductio ad arbitrium boni Viri ab aliquo laudo, seu arbitramento, tamen peti debeat coram Vicecomite infra terminum decem dierum à die, à qua dictum laudum, vel arbitramentum factum fuerit, & hoc si pars, quæ vult petere reductionem fuerit præsens; si autem fuerit absens à dicto laudo, seu arbitramento, quamuis fuisset citatus, vel monitus, tunc habeat terminum prædictum decem dierum à die factæ sibi notificationis legitimæ per Vicecomitem, vel de eius Mandato, quod tales arbitratores inter tales partes tali die tulerunt suum laudum, & arbitramentum; aliàs lapsis X. diebus prædictis non audiantur, & laudum executioni mandetur, ac si esset sententia, quæ transiuisset in rem iudicatam: Vbi autem infra illos decem dies fuerit petita reductio ad arbitrium boni Viri, in casibus, in quibus de iure secundum formam præsentium Statutorum peti non negatur: tunc omnia fiant, & seruentur coram Vicecomite, quæ supra dicta sunt, & statutum est circa modum, & ordinem in causis seruandum, & omnia, quæ sibi dicta sunt in hoc casu locum habeant.

Quod Vicecomes cogat Notarium ad dandum acta Causæ.

QVia partes quandocumque habent necesse producere quædam acta principali Causæ in iudicio causæ appellationis; statuimus, quod Vicecomes in quacumque parte iudicij principalis, & etiam postea faciat tradi acta causæ principalis, seu eorum copia parti petenti, cum fuerit requisitus, & Vicecomes negligens incurrat in pœnam librarum quinque par. & Notarius cui hoc mandatum fuerit, si infra terminum competentem ei statuendum per Vicecomitem dicta acta, vel eius copiam parti petenti, & congruam mercedem ei offerenti non tradiderit in similem pœnam incurrat, & nihilominus teneatur ad interesse parti. Disponimus tamen, quod petens acta sibi tradi, statim cum petit disponat, vel soluat Notarius competentem mercedem, si secum non fuerit concors, & antedictæ mercedis solutionem, siue dispositionem non incipiat currere terminus Notarius ad dandum acta vel copiam vt supra; statuimusque, quod si ex aliqua legitima causa non possint haberi dicta acta, seu copia intra dictum terminum, non intelligatur currere petenti dictas Scripturas aliquis terminus præsentium Statutorum pro illo tempore, quo steterit ad habendum copiam prædictam, nisi ipse fuerit negligens.

De potestate, & iurisditione Arbitrorum.

STatuimus, quod siue sint arbitres tantum, siue arbitratores, siue mixtim arbitri, & arbitratores, siue sint ellecti ab extraneis, siue ab affinibus, siue qualitercumque coniunctis, & in quocumque gradu ipso iure ex dispositione præsentis Statuti habeant, & intelligantur in Causa eis commissa omnimodam iurisdictionem in omnibus, quæ sunt necessaria pro expeditione dictæ Causæ, ac si illius litis, quæstionis, vel causæ fuissent iudices ordinarij, nec ob citationes, aut pignorationes partium, ac testium, & alia, quæ in talibus videntur necessaria compellantur adire iudicem ordinarium, & hoc quamdiù durat compromissum, & non vltra; non intendentes propterea, quod per hanc iurisditionem eis concessam intelligatur concessa potestas appellandi ab eorum laudis, pronunciationibus, arbitramentis, vel præceptis; sed tamen circa alia possit pars grauata facere, quod à iure communi, vel Statutis sint præmissa, & per præsentia Statuta non sint ei derogata, & hanc eamdem potestatem habeat quicumque in talibus causis esset ellectus tertius propter discordiam aliquorum arbitrorum.

Quod tempora præſentium Statutorum non currant tempore Feriarum.

QVia termini ſupradicti in cauſis ſunt continui, & ij quandocumque poſſunt contingere in ferias prolixas, ex quo poſſet partibus generari præiuditium. Ideo ad hoc euitandum prouidemus, quod ſi terminus, vel delatio aliqua datus, vel data ab aliquo præſentium Statutorum, vel à D. Vicecomite, vigore alicuius Statuti, inciderit in aliquam ex ferrijs infraſcriptis, videlicet propter Natiuitatem Domini Noſtri Ieſu Chriſti; vel propter eius paſſionem, & Reſſurectionem, vel propter meſſes, vel in aliquas ferias repentinas, tunc tales termini, vel dillationes non currant ipſo iure alicui partium, nec Vicecomiti ad pronunciandum, nec alijs, de quibus in præſentibus Statutis fit mentio, & hoc pro ea ratta temporis, pro qua in aliquam ex dictis ferijs inciderit, his autem finitis reſſiduum dillationis, vel termini Statuti incipiat currere ei, cui dillatio, vel terminus erat præfixus, vel aſſignatus; Adijcientes, quod ſi vltima dies alicuius termini, vel dillationis cuiuſcumq; inciderit in aliquam diem quouiſmodo feriatam, tunc prima, ſequens dies non feriata ſit, & eſſe intelligatur illi, cui talis terminus, vel dillatio eſt ſtatuta pro termino aſſignata, & ſtatuta.

De tacita Hypotheca ex præceptis, & ſententijs reſultante.

VOlentes fraudoloſis alienationibus obuiare, prouidemus, quod à tempore præcepti de ſoluendo, facti in conuitum, vel in confeſſum, vel quaſi omnes res, & bona eius, cui dictum præceptum factum fuerit, ſint, & eſſe intelligantur ipſo facto, & iure tacitè hypotecata creditori, in cuius fauorem præceptum factum fuerit, & hanc tacitam hypotecam volumns tranſire ad hæredes, & Succeſſores vniuerſales dicti creditoris, poſſint hypotecaria actione, res, & bona poſt præceptum quouiſmodo in alium translata à quocumque poſſeſſore, qui non haberet potiora iura, aduocare, & prædicta locum habeant etiam vbi lata fuerit ſententia deffinitiua iudicialis, vel arbitraria, declarantes, quod à tempore ſententiæ latæ in cauſa Principali dicta hypoteca efficax duratura, ſiue illa ſententia abſque reclamatione tranſiuerit in rem iudicatam, ſiue ab ea quouiſmodo fuerit reclamatum, & reclamatione non obſtante fuerit quouiſmodo confirmata.

De executione Præcepti.

STatuimus, quod cum tempus in præcepto de ſoluendo tuexerit, Creditor, in cuius fauorem præceptum factum fuit habeat ellectionem petendi ellectionem in bonis debitoris, vel faciendi debitorem capi, & detineri, & vna via ellecta ſibi, in altera non præiudicat. Vbi verò elligat executionem perſonalem, teneatur facere debitorem citari cum cedula ad contra dicendum quidquid vult, & poſt, ne præceptum tale contra eum exequatur, & debitore in termino non comparente indiſtinctè mandetur executioni contra eum, niſi allegauerit exceptionem falſitatis, vel ſolutionis, vel aliquam exceptionem, quæ ei ſuperuenerit poſt præceptum factum, quo caſu ſeruetur ea, quæ infra dicuntur, quando tales exceptiones apponuntur ad executionem ſententiæ, & omnia, quæ ibi dicentur in ſententia habeat locum hic in præcepto.

De executione Sententiæ.

QVia multoties, quæ ſententia debeat peti executioni mandari an principalis, an appellationis ſtatuimus, quod ſententia appellationis, ſiue ſit confirmatoria primæ, ſiue confirmatoria, ſiue in totum, ſiue in partem illa debeat peti executioni mandari, ſi tamen in rem iudicatam tranſiuit, & non alias, & ſufficiat illam producere, nìſi illa ſententia habeat neceſſariam rellationem ad primam, quo caſu vtroque produci debet, ad officium D. Vicecomitis ſpectet, & pertineat mandari executioni omnes ſententias per ipſum latas, & ſententias etiam latas per quoſcumque in cauſis appellationum à ſententijs primis per ipſum latis, & ſententias latas per quoſcumque Arbitros, ſeu Arbitratores, ſeu Compromiſſarios de rebus, aut perſonis ſuæ iuriſdictionis quomodocumque ſuppoſitis, omnia executioni mandando, ſingula ſingulis refferendo: ſitque in arbitrio creditoris elligere, an velit executionem

nem

nem fieri in bonis debitoris, vel in persona, & vna via electa non præiudicet ei in alia; si igitur petat executionem in bonis condemnati per sententiam, tunc is, contra quem petitur executio citetur cum cedulla ad contradicendum quidquid vult, ne executio petita fiat, & si non venit, vel veniens non contradixerit, vel etiam si contradixerit non admittatur eius contradictio, sed committatur executio, vel per captionem pignorum, vel per missionem in tenutam in bonis suis, & ita executioni mandetur, nisi opportuerit exceptionem falsitatis, vel nullitatis, vel aliam, quæ ei superuenerit post sententiam, tunc enim super oppositis audiatur, & si quantitas non excedat summam librarum X. paruor. assignetur ei terminus trium dierum continuorum ad probandum, & intelligantur factæ monitiones hinc inde, quod singulis bonis intersint ad videndum fieri probationem, quo non probante exceptionem oppositam, plenè, vel semiplenè incidat in pœnam librarum duarum paruor., applicandarum pro dimidia parti aduersæ, & pro alia dimidia Communi, & in expensis; si verò quantitas, de qua petitur executio excedat summam librarum X. vsque ad summam librarum XXV. paruorum, & hæc omnia hic seruentur, quæ ibi dicta sunt; Volumus, quod si quantitas, vel extimatio rei, vel facti, pro qua executio petitur excedat summam librarum XXV. paruor., quod posſit super ijs exceptionibus oppositis peti Consilium Sapientis infra terminum quinque dierum à lapsu termini reprobatorij, & alia seruari debeant, quæ circa petitionem Consilij Sapientis suprà diximus.

NOn volumus tamen, quod si prius de nullitate Sententiæ fuisset quæsitum, quod tunc quæratur, sed exceptio ipsa nullitatis reijciatur, & idem si ex forma præsentium Statutorum de nullitate, quæri non potest, addentes, quod si condemnatus se opposuerit executioni, & aliud oppositorum sufficiens ad tardandum executionem Sententiæ non probauerit saltem semiplenè, incidat in pœnam librarum X. paruor. applicandarum pro dimidia parti aduersæ, & pro alia dimidia Communi, & in expensis, & à Sententia, qua pronunciaretur, Sententiam exequendam esse, non volumus posse appellari, nec supplicari, nec de nullitate quæri, vel quouis alio modo quærelari, sed in dilatæ executioni mandetur; Vbi verò creditor elligat executionem personalem, tunc citetur debitor cum cedulla ad contradicendum quic quid vult, & potest, ne exequatur dicta Sententia personaliter contra eum; & tunc eo termino non veniente, & non contradicente fiat licentia de capiendo ipsum debitorem per quantitatem, & rem petitam, cum autem veniente, & contradicente, seruentur omnia, quæ supra diximus, quando petitur executio in bonis debitoris.

De executione facienda contra Vniuersitatem Villæ Corbulæ.

SI contingerit, Vniuersitatem Villæ Corbulæ ex aliqua causa sententiari in aliqua quantitate pecuniæ Communi Adriæ, vel alicui personæ de Viscontaria Adriæ, assignetur per Vicecomitem terminum Statuti Cauarzellano dictæ Villæ Corbulæ ad soluendum, quo ellapso termino, prouidemus, quod si creditor ellegerit executionem personalem factis debitis citationibus de dicto Cauarzellano fiat licentiam de capiendo ipsum debitorem personaliter, & executioni mandetur contra eum, nisi ipse Cauarzellanus comparuerit, & aliquid allegauerit, ex quo appareat se esse dilligentem, sed tamen cassationem solutionis peruenire, quia homines non volunt congregari, nec volunt soluere, quo casu quilibet de ipsa Villa, & Vniuersitate Corbullæ possit cappi, & detineri pro dicto debito, nec propter capturam vnius, alium, vel alios de dicta Villa liberari volumus.

Qualiter fieri debeat Executio Capturæ Personarum.

STatuimus, quod nullus possit ex aliqua causa capi, seu detineri, nisi per Præconem, vel Præcones Adriæ habentem, vel habentes secum licentiam in scriptis tempore, quo cum capit, vel capiunt, capiendi tales personas non possit ipse solus Præco capere; nisi secum habeat homines ei consignatos per Dominum Vicecomitem; qui sic captus in casibus, in quibus capi potest secundum formam Statutorum ducatur, & duci debeat coram Domino Vicecomite, qui eum audiat, si velit quid contra talem capturam opponere, vel allegare, qui si nihil allegauerit, vel si aliquid allegauerit, quod si esset verum deberet

rellaxari, sed non potest illud esse, aut fieri notum Domino Vicecomiti, nisi differatur, tunc Domini Vicecomitis arbitrio, & bonæ voluntati sit, vel mittere illum statim ad carceres, aut differe, dummodo siue in carceribus, siue extra faciat eum sic captum benè, & dilligenter custodiri, expensis tamen creditoris, quas postea liceat ei recuperare à debitore; & hoc nisi ipse captus deponat pœnas ipsum Dominum Vicecomitem, vel aliquam idoneam personam per ipsum Dominum Vicecomitem elligendam quantitatem, pro qua ipse captus est, & expensas pro ipsa captura, tam in Notario, quam in Præcone, & hominibus, & eo, vel alio eius nomine depponente, ille captus etiam si ductus ad carceres fuisset libere rellaxetur, si autem prædicta non deposuerit, tunc mittatur ad carceres, & ibi detineatur, & custodiatur donec suo creditori satisfecerit tam de debito, quàm de expensis, & vt supra.

PErmittimus autem, dictas capturas fieri quolibet loco, & die in præsentibus Statutis, non excepto, de quibus infrà dicetur in proximè sequenti Statuto, & prædicta locum habeant, nisi quis fuerit pro crimine debitor pro Illustrissimo Domino Nostro V. S. pro introitibus eius ex quacumque alia causa, pro introitibus, vel grauaminibus quibuscumque Communi Adriæ pro condemnatione ipsius facta quocumque dicta, & pro datijs; Vel nisi captus fuerit de mandato præfacti Illustrissimi Domini Marchionis, quibus casibus possit quilibet capi sine Præcone, & sine licentia in scriptis, dummodo habeat licentiam viua voce à Domino Vicecomite.

Quibus casibus possit quis capi pro debito, & quibus non.

QVia Reorum semper est figere, & procrastinare solutionem, prouidemus, & Statuimus, quod quilibet debitor possit capi, & detineri pro debito ad instantiam suorum creditorum seruatis tamen necessarijs secundum formam Statutorum in omnibus, & singulis casibus infrascriptis; & alijs casibus nullus pro debito capi, seu detineri; Casus autem sunt infrascripti.

Pro introitibus, & debitis Cameræ Illustris. D. N. D. Marchionis Esten.

Pro Datiis eiusdem præfacti Illustris. D. N. & Communis Adriæ.

Pro condemnationibus, & multis quibuscumque.

Pro Collectis, & alijs grauaminibus.

Pro Executione præcepti, vel sententiæ, vt supra dictum est.

Item si debitor fuerit suspectus de fuga, qui non possideat bona immobilia sufficientia ad debitum in Viscontaria Adriæ, quo casu sufficiat, quod creditor comparens coram Vicecomite faciat saltem semiplenam probationem de debito, etiam parte absente, & non citata, & vltra hoc iuret debitum esse verum, sibi non esse satisfactum in totum, vel in partem de eo, quod petit, & iuret se habere debitorem suspectum, ne fuggiat, quam suspitionem non habebat tempore contracti debiti; & quod non putabat, quod ipse possideat in dicta Viscontaria Adriæ bona immobilia sufficientia ad dictum debitum; his autem adimpletis concedatur ei licentia de capiendo debitorem, sed post capturam detur terminus creditori ad iustificandum capturam præsente debitorem, vel eius procuratore, vel saltem citato, & monito, quamui sit carceratus. In alijs autem casibus præterquam in suprascripti aliquem pro debito capi posse, adijcientes etiam in casibus prædictis: quod nulla mulier, nec aliquis masculus minor XV. annis pro debito possit. Item si pignoratus per vim vetuerit ipse, vel alius de sua familia, ne pignora accipiantur, vel alio modo se opposuerit, tunc ipse, & quilibet de sua familia posit capi.

Item, quod nemo etiam posit capi in casibus prædictis in locis, & diebus infrascriptis, videlicet in domo habitationis propria, vel conducta. Item in Ecclesia aliqua, & intra eius mænia. Item in tribus diebus Natiuitatis D. N. Iesu Christi. In die Epiphaniæ, in Septimana Sancta. In tribus diebus Pascalibus Resurrectionis. In prima die Pentecostes. In diebus Beatæ Mariæ Virginis de Mensibus Martij, Augusti, & Septembris, & in die Sancti Petri de Iunio, & hoc nisi de facto ijs diebus debitor actu fugeret, vel esset in promptu recedendi; Quo casu volumus, etiam, quod his diebus, & quilibet eorum capi posit, & detineri, et nisi fuerit pro introitibus Illustrissimi Domini Marchionis, et pro Datijs, et introitibus

tibus Communis Adriæ, in quibus casibus possit quilibet capi qualibet die, et quolibet loco nisi in Ecclesijs, & intra eorum mænia; Si quis autem contra formam præsentium Statutorum captus fuerit, disponimus, quod Vicecomes faciat illum rellaxari, & eum, ex cuius facto, & deffectu minus legitimè captus fuerit statim de facto cogat ad soluendum omnes expensas, & omne damnum, & interesse ei, qui indebitè captus fuit.

Quod nec Tenuta, nec Sequestratio valeat vltra duos Menses.

SI quis ex propria auctoritate in casu sibi concesso, vel de auctoritate Vicecomitis, vel de voluntate debitoris alicuius rei ab alio possessæ adeptus fuerit tenutam, teneatur infrà duos menses à die talis tenutæ comparere coram Vicecomite, & facere petitionem suam secundum formam præsentium Statutorum, vt causa dictæ tenutæ expediatur, aliàs intelligatur, quod dicta tenuta sit ipso iure nulla, & ex ea nihil iuris, aut facti intelligatur acquisitum fuisse ipsi Actori. Idem intelligi, & obseruari volumus de Sequestro, quod dictum est de tenuta. Idem de tenutis acceptis per Præconem nomine pignorum nisi appareat de iusto impedimento, quæ locum non habeant in factis Illustrissimi Domini Marchionis, & datiorum, & introitibus, & factis Communis Adriæ.

De modo procedendi supra venditionibus quæ fiunt per Curiam.

STatuimus, & ordinamus supra facto venditionum rerum immobilium, quæ fuerunt per curiam ad instantiam, & postulationem creditorum hoc ordine procedatur, videlicet, quod tres cridationes fieri debeant per spatia, & interuala octo dierum pro qualibet, & vltima sit peremptoria, de quibus prima, & vltima fieri debeant supra Platea, & media in contracta, aut in Villa, in cuius pertinentijs sitæ sunt res venales, & contineatur in qualibet cridatione hæc forma, videlicet; Quod qui nolunt bona in quæ cridatur deffendere, seu in eis aliquod ius ostendere, aut contradicere, vel emere, comparere debeant infra ipsas dilationes iura sua, deffensiones, & rationes ostensuri, seu prætium oblaturi, & specificè in qualibet cridatione nomen debitoris, cuius dicuntur esse bona, quæ cridantur, & etiam nomen creditoris, ad cuius instantiam fiunt dictæ cridationes, quibus cridationibus elapsis, & apparente aliquo creditore legitimo, bona extimentur per iuratos, & Extimatores Communis Adriæ, & posteà incantentur tribus vicibus per diuisos dies, & si Extimatio excedat Incantum cogatur creditor, ad cuius instantiam proceditur, accipere in solutum per extimationem, tunc plus offerente secundum oblationem, & non secundum extimationem factam dentur, & vendantur per curiam, & prætium distribuatur inter creditores, ad quorum instantiam hæc facta fuerint; ita tamen quod creditores teneantur dare emptoribus iura, & actiones quantum ad deffensionem · ita quod creditor non teneatur de euictione, vel vitio, nisi quantum est pro suo facto proprio, à die verò prædictæ Venditionis factæ cum prædictis solemnitatibus liceat cuilibet proponere, & ostendere de iure suo in bonis venditis, & contra possessores eorum vsque ad tres Mensas continuos, vlterius verò audiri non debeant, & si infrà prædictos tres Menses aliquid euictum fuerit ab emptore prædictorum bonorum habere possit regressum emptor contra creditores; inter quos prætium fuerit distributum; ita tamen, quod tempore distributionis prætij faciendæ inter creditores, teneatur quilibet creditor facere bonam securitatem de soluenda, & non baratanda parte, quæ ei contigerit de prædicto prætio, & ea restituenda emptori, si euicta ei fuerit res vendita, secundum quod creditor quilibet teneretur de iure, & si facere voluerit, vel non potuerit securitatem, pecuniam in loco saluo depponat per totum tempus dictorum trium Mensium, quibus transactis detur creditori, ad quem spectare dignoscitur, & hæc omnia summariè cognosci, & expediri debeant.

De offerente prætium ad Incantum.

STatuimus, quod quicumque obtulerit prætium aliquod certum supra aliquo Dacio, vel re, quæ ad Incantum posita sit de Mandato Domini Vicecomitis, aut extimata sit per Extimatores iuratos Communis Adriæ cogatur firmus persistere in oblatione,

&

& prætium oblatum soluere, & rem supra quam fuerit facta oblatio præcisè accipere teneatur, intelligendo prædicta in eo, quod plus obtulerit.

De tertio comparente ad Deffensionem Tenutæ, vel pignoris.

ITem, quod si ipsa tenuta, vel pignus accepta, vel acceptum fuerit de mandato Vicecomitis ad instantiam alicuius personæ, vel pro facto alicuius Communis, vel pro alia ratione, non possit vetari pignus, vel tenutam per aliquem, qui credat ius habere in dicta tenuta, vel pignore sub pæna contenta in Statutis deuetatione pignoris, & ille, qui credit ius habere in dicta tenuta, vel pignore debeat comparere coram Vicecomite, ostensurus de iure suo, & si non comparuerit procedatur supra pignore, vel tenutam secundum formam Statutorum, & iures, saluo iure omnium, ius habentium, sed si comparuerit, & siquidem fuerit accepta tenuta, vel pignus occasione Cameræ Illustriss. Dom. Marchionis, vel occasione Communis Adriæ, tunc per Vicecomitem summariè; & sine strepitu iuditij cognoscatur, & dirimatur quæstio vsque ad octo dies expensis eius, qui dicit se habere ius in pignore, vel tenuta, quas tamen si obtinuerit recuperare potest ab eo, qui fuerit debitor, si autem accepta fuerit tenuta, vel pignus ex alia causa tunc procedatur secundum formam traditam in alijs causis, nec procedatur ad dationem in solutum, nec ad venditionem, vel suppignorationem pignoris, vel tenutæ, nisi deffensio, & contradictio ipsius deffendere cupientis prius fuerit terminata.

De Alienatione Tenutæ.

STatuimus, quod res data in tenutam, vel in pignus non possit aliquo modo alienari, & si fuerit alienata ipso iure non valeat alienatio à possidente Officio Vicecomitis auferatur, & si debitor tenutam datam vendiderit, vel alienauerit personaliter capiatur, & detineatur, donec satisfecerit pro debito creditori.

Quod Vicecomes non det in solutum alicui Forensi.

ITem, quod Vicecomes non possit dare in solutum alicui Forensi possessiones aliquas positas in Terra Adriæ, vel eius districtu Viscontariæ pænna librarum xxv. de suo salario, & Datio in solutum prædicta ipso iure non valeat, & possessio confiscetur Communi Adriæ.

Quod temporè deffinitiuè fiat condemnatio expensarum, & non interlocutoriè.

STatuimus, quod in qualibet causa temporè deffinitiuè condemnetur victori victus in expensis, nisi manifestè constiterit, quod habuerit iustam causam litigandi; nec possit Vicecomes condemnare aliquem in expensis temporè alicuius interlocutoriè, sed differatur tempore deffinitiuè nisi fuerunt expensæ factæ occasione contumaciæ alicuius, siue in principio causæ, siue in Procesfù quas quidem reficere teneatur condemnatus, si contumax antequam audiatur, nisi etiam sit talis interlocutoria, quæ habeat vim deffinitiuè, & mereatur executionem.

Quod nullus possit citari extra Viscontariam Adriæ.

QVod si aliquis de Terra Adriæ, vel eius districtu, aut Viscontariæ coactus, vel vocatus fuerit ab aliquo, vel aliquibus in causa ciuili, vel Ecclesiastica extra dictam Viscontariam coram quocumque Iudice Ecclesiastico, vel ciuilì ab aliquo in dicta Viscontaria habitante, sine expressa licentia Illustr. Dom. Marchionis, ille, vel illi, qui vocauerint, seu vocari fecerint, iura, & actiones tam in ciuili, quam in criminalibus amittat.

Quod

Quod nemo de Viſcontaria Adriæ accipiat iura, & actiones à Forrenſibus.

STatuimus, quod nemo de Viſcontaria Adriæ accipiat iura, & actiones à Forenſibus, contra aliquem de Viſcontaria Adriæ, & ſi receperit, Vicecomes non faciat ſibi rationem, & denegetur ſibi omnis Audientia, & ſtatim cum comparuerit hoc allegans, & ex dicta cauſa petens auferantur ab eo de facto per Dom. Vicecomitem libræ xxv. paru., niſi accipiens actiones fuerit obligatus cum eo, vel pro eo, & hoc monſtrauerit per inſtrumenta, vel teſtes, vel niſi ceſſio fuerit facta de voluntate eius, contra quem creditur, aut ei, cuius vice, & nomine cedens fuerit ſtipulatus, vel niſi tali ceſſionario fuerit facta Datio in ſolutum alicuius nominis debitoris pro aliquo debito, & ei fuerit facta ceſſio, quo caſu valeat, & agere poſſit, ſi de dicto debito conſtet per Publicum Inſtrumentum, quod præceſſerit, & aliter non.

De præſcriptione rerum immobilium.

SI quis poſſederit rem immobilem continuè per annos decem inter præſentes iuſto titulo, & bona fide nullo modo inquietari; ſi verò inter abſentes requiratur poſſeſſio annorum XX.; ſi verò habuerit titulum, tunc exigatur bona fides, & poſſeſſio continua XXX. annorum, ſaluis iuribus minorum annis XXV.

De præſcriptione decennij.

SI quis inter præſentes non petierit ſibi debitum per decem annos continuos, poſtea volens agere non audiatur, & præſumatur pro tali debito ſatisfactum, & obligationem fuiſſe fictitiam, & ſimulatam; Inter abſentes autem lapſus XX. annorum continuorum, hæc autem locum habeant in debitoribus bonæ fidei tantum, & niſi is, contra quam præſcriptio talis allegatur habuerit iuſtam cauſam ignorantis, vel niſi talis præſcriptio fuerit legitimè interrupta, & niſi inſtrumenta dotium, ſocietatis, & teſtamenti, in quibus ſeruentur iura communia.

Quod nullus Tabernarius faciat credentiam filio familias, vel famulo.

ITem, quod nullus tabernarius, vel tabernaria faciat credentiam alicui filio familias moranti cum patre, vel Auo Paterno, cum pignore, vel ſine pignore, ſine Patris, vel Aui paterni licentia, nec famulo alicuius cum pignore, & qui contrafecerit nihil exigere poſſit, & pignus, quod accepit teneatur, ſine aliqua ſolutione reſtituere, & ſoluat pro bano ſolidos xx. paruor. pro qualibet vice.

Quod nullus mutuet Filio Familias, vel Famulo.

ITem, quod nullus debeat mutuare alicui Filio familias moranti cum Patre, vel Auo Paterno, vel famulo alicuius cum pignore, vel ſine pignore, ſine Patris, Aui, vel Domini licentia, & qui contrafecerit nihil exigere poſſit, & pignus, quod acceperit reſtituere teneatur, ſine aliqua ſolutione, & ſoluat pro bano ſolidos xxxx. paruorum pro qualibet vice.

Quod nullus emat aliquas res à Filio familias, vel famulo.

ITem, quod nullus emat Piſces, Retia, Canas, vel aliquas alias res generis alicuius à Filio alicuius morante cum Patre, vel Auo Paterno, vel à famulo alicuius abſq; licentia Patris, Aui, vel Domini, & qui contrafecerit ſoluat pro bano ſolidos L x. paruor. & teneatur reſtituere piſces, laboreria, & alias res ſine aliqua ſolutione.

Quod restitutio Dotis constante Matrimonio non fiat, nisi coram Vicecomite.

ITem, quod nullum instrumentum restitutionis Dotium, vel aliqua restitutio Dotis fiat in Visconraria Adriæ constante Matrimonio inter Virum, & Vxorem, nisi cum auctoritate Domini Vicecomitis.

De modo exactionis Dotium constante Matrimonio.

ITem super exactionibus Dotium, quæ fiunt constante Matrimonio inter Virum, & vxorem cum allegetur Maritum vrgere ad inopiam procedatur hoc modo videlicet; Quod per mulierem, & patrem eius, qui habuerit eam in potestate, aut per alium nomine ipsius legitimam personam habentem standi in iudicio porrigatur petitio coram Vicecomite, & requiratur Maritus, contra quem fit petitio personaliter, si reperiri potest, & si reperiri non potest requiratur præconia voce super platea, & cum cedulæ affixione sub Lodia Communis, & eodem modo præconia voce, & cum affixione cedulæ requirantur omnes creditores Mariti, seu ius habentes, seu volentes ostendere ius aliquod in bonis Mariti, vel volentes contradicere tali petitioni infra terminum in alijs Statutis declaratum, vt compareant coram Vicecomite ad contradicendum, & iura sua ostendendum, & si infra terminum comparuerit aliquis contradictor, tunc inter partem Mulieris, & ipsum contradictorem iure ordinario procedatur. Si verò nullus comparuerit summariè de plano sine strepitu, & figura iudicij audiantur probationes partis vxoris, & facta publicatione testium omnis requiratur iterum modo, & forma prædictis, qui voluerint interesse ad sententiam audiendam tali die, & in die termini feratur sententia, & si mulier obtinuerit, fiat extimatio in bonis Mariti in electione sua per iuratos extimatores Communis Adriæ, & reducatur in scriptis, & tunc præcipiatur omnibus creditoribus, ijs videlicet, qui licet contradicere voluerint petitioni vxoris tamen iura sua produxerint super bonis mariti, & scribi fecerunt in actis, quod infra certum terminum assignandum per Vicecomitem respondeant, si vult res, & bona, quæ fuerit extimata, & sic eis offere vltra extimationem factam, si voluerint in omni summa, & in omni re singulari, & habere rem, si plus obtulerint, & oblationem soluerint, saluo eo, quod similiter tantumdem offere velit semper mulier perferatur, & prædictis solemnitatibus seruatis, & completis fiat solutio, & satisfactio eidem mulieri vsque ad quantitatem suæ Dotis, & legitimatum expensarum per Vicecomitem in bonis, & de bonis mariti, vt se, & suos alat secundum formam iuris, & si quid superabundauerit, hoc inter creditores distribuatur secundum formam iuris, & si deesset saluum sit ius mulieris, hoc addito, quod quando non apparet contradictor, qui se opponat mulieri potenti, vt supra, si mulier infra terminum quadraginta dierum à die suæ petitionis non fecerit, sibi compleri extimationem & dationem in solutum amplius non audiatur in præiuditium creditorum mariti, sed non obstante petitione, seu aliqua contradictione vxoris satisfiat creditoribus mariti secundum formam iuris, eo saluo quod feriæ, quæ in alijs dilationibus datis ad probandum non computantur secundum formam Statutorum præsentium, etiam hic non computentur in isto termino XL. dierum.

Si quis fuerit vsus instrumento de quo sibi solutum fuerit.

ITem statuimus, quod si quis vsus fuerit instrumento debiti, vel scriptura priuata, vel publica, de qua solutio facta sit; si fecerit à X. libris infra id, quod petitur condemnetur in tanta quantitate, qoanta erit quantitas, quæ petebatur, si à decem libris supra, quantacumque sit quantitas condemnetur in decem libris par. & expensis, nisi habuerit iustam causam litigandi.

Quod nullus Forensis emat possessiones, &c.

QVod nullus Forensis, vel aliquis suo nomine emat, aut emere possit aliquas possessiones immobiles existentes in Terra Adriæ, vel eius districtu, & Viscontaria, nec aliquis vendat alicui Forensi, vel alio ementi suo nomine possessiones aliquas immobiles

biles existentes vt supra pœna libr. XXV. par. & emptio, & venditio sit nulla ipso iure, & possessiones illæ, quæ emptæ, vel venditæ fuerunt incontinenti deuolutæ esse intelligantur in Commune Adriæ, idem dicimus de dantibus alicui Forensi non sustinenti onera cum Commune Adriæ.

Quod Mater non succedat Filio ab intestato.

STatuimus, quod Mater non possit succedere ab intestato filio, vel filiæ, existentibus fratribus, vel sororibus, vel attinentibus ex linea masculina deffuncti, vel deffunctæ vsq; ad tertium gradum inclusiuè, sed ipsa viuente honestè; & vitam Vidualem seruante, quod ipsa habere debeat ab hæredibus filiorum loco legitimæ suæ victum, & vestitum, & habitaculum, si extabit secundum facultatem hæreditatis, & si vsque ad tertium gradum inclusiuè non extabunt attinentes, vt supra, quod Mater succedere possit.

De Muliere maritata à Patre, vel consilio Patris.

ITem constituentes consuetudinem approbamus, quod mulier à patre maritata, vel Consilio patris superstitis ab intestato patris non succedat cum fratre, vel fratibus, vel liberis eorum masculis. Illud etiam intelligendum est, si pater decesserit cum Testamento, dum Pater possit relinquere filiæ quicquid voluerit in vltima voluntate, & hoc idem intelligimus in hæreditate Matris, si Mulier habuerit fratrem, vel fratres ex vtroque parente, idem seruetur de non maritatis à Patre, vel Matre, mortuo. vel mortua ab intestato, dum frater, vel fratres teneantur eas maritare, & dotare secundum facultates suas, & dignitates, & mores locorum; si non nubere voluerint, tunc teneatur ei dare, & subuenire de suis bonis secundum facultates, & dignitates, & bona fratris, quæ fuerunt patris eius, & Matris sint obligata sorori, & sororibus pro Dote constituenda, & danda, & pro alimentis prædictis.

Quod Maritus lucretur dimidiam Dotis.

STatuimus, quod de dotibus omnibus datis, & dandis Maritus lucrari debeat dimidiam dotis, si Matrimonium solutum fuerit morte vxoris non relicta communi sobolæ.

Quod Venditor teneatur præcisè ad rem tradendam.

QVod si aliqua res mobilis vendita fuerit, Venditor teneatur præcisè eam tradere emptori, & emptor teneatur præcisè ad prætium soluendum; si verò fiat venditio rei immobilis, tunc seruetur ius commune, & qui contrafecerit soluat pro bano solidos centum par.

De vendente iure proprio rem, quam conducit ad Liuellum.

SI quis conduxerit iure liuelli perpetualis aliquam rem immobilem, & ipsam iure proprio vendiderit cadat à iure suo, & perueniat ad dominum, cuius est directum dominium.

De conducente domum aliquam ad pensionem.

SI quis conduxerit domum aliquam ad pensionem ab aliqua persona ad certum terminum, taneatur eam reffutare Domino domus ante terminum per mensem, alioquin ipso non reffutante in dicto termino teneatur conducere pro vno alio anno pro eodem prætio, & similiter Dominus Domus debeat dare licentiam dicto conductori per dictum terminum sub pœna relaxandi dictam domum per alium annum volendo eam affictare.

De affictante Domum, qua postea indiget.

SI quis affictauerit, siue locauerit ad pensionem domum aliquam alicui, & locator dicta domo indigent, liceat sibi dictam domum tolere dicto conductori, & habeat conductor terminum per mensem ad inueniendum sibi vnam domum, dumodo dictus conductor loco sui interesse lucretur affictum ipsius domus relaxatæ per vnum annum, siue eam tantum tenuerit, siue non, & teneatur locator in dicta quantitate ei compensare, vel satisfacere, vel

 restituere

restituere, nisi in casibus, quibus propter necessitatem superuenientem de iure Communi potest expelli.

Quod Socedarij teneant socidas vsque terminum.

ITem statuimus, quod socidarius teneatur conducere, & tenere bestias ei socidatas ad terminum vsque ad terminum, quo debeat conducere dictas bestias; & similiter teneatur Dominus dimittere socidario dictas bestias ad terminum inter eos conuentum, nisi legitima causa interueniente, & eo casu quo relaxabit, legitima causa non interueniente, dictus socidarius dictas bestias infra terminum, non debeat habere lucrum, nisi pro rata temporis.

Quod nulla Bestia data in socida vendatur.

ITem, quod nulla bestia data in socidam possit vendi, vel alienari, sine voluntate Domini, & si contra factum fuerit omni iuris solemnitate omissa dicta bestia vendita, vel alienata Domino restituatur sub pœna solidorum xx. paruor. pro qualibet bestia minuta, & librarum quinque pro qualibet bestia grossa, & in eandem pœnam cadat emptor, qui scienter emerit, & si bestia reperiri non possit, socidarius, qui eam vendiderit, vel alienauerit, personaliter capiatur, & non dimittatur donec satisfecerit dicto Dom. de prætio dictæ bestiæ alienatæ, & damno, & interesse, & quod aliqua bestia data in socidam non possit accipi in tenutam ab alicuius creditore socidarij, nisi finito socidæ termino, & si accepta fuerit ipsa tenuta ipso iure non valeat, & Dominus, qui actione solidæ aliquid mutuauerit socidario habeat pro illo mutuo recuperando meliora, ac potiora iura, quam aliqua alia persona, quæ habuerit hippotecam anteriorem, etiam si fuerit dos; etiam si ipse mutuans nullam expressam habeat hypotecam in omni parte lucri ipsarum bestiarum spectantium, & pertinentium ad socidarium.

De Socidis, aut Zoaticis simulatis, & fictitijs.

STatuimus, & ordinamus, quod quotiescumque aliquis reperiretur obligatus, vel pro socida, vel Zoatica, & dicat debitor talem obligationem fuisse fictitiam, & simulatam in fraudem vsurarum conceptam, & quod licet se obligauerit in bonis, vel alijs animalibus, vel alijs quibuscumque modis occasione prædicta, verè se obligauerit ex causa mutui, & boues, & animalia, & alias res non habuerit secundum pecuniam mutuo habuerit, tunc præsumatur auctoritate præsentis Statuti ita esse, & fuisse, prout ipse debitor dicit, si ipse debitor iurauerit ad Sancta Dei Euangelia ita esse, & fuisse, prout ipse asserit, & hoc nisi ex aduerso ipse creditor obtulerit se probaturum, & probauerit dictas bestias, vel res esse, & fuisse ei datas, & verè consignatas, eo autem non probante stetur iuramento debitoris, si sit ipso iure absolutus à tali creditore, sed medietas dictæ pecuniæ mutuatæ sit communis, & alia medietas sit accusatoris, si aliquis sit accusator, qui eos accusauerit, si autem non, tota sit communis.

De emente Frumentum in Herba, & Vinum antequam sit tempus Vindemiæ.

STatuimus, quod si quis emerit Frumentum in herba antequam sit à terra separatus, aut Vinum antequam sit tempus Vindemiæ, intelligatur dictus contractus vsurarius, & ipse emptor prætium amittat, & applicetur Communi, cuius dimidia sit accusatoris, qui eos accusauerit.

Quod nullus laborator possit vindemiare sine licentia Domini.

STatuimus, quod nullus, qui laborauerit alienas vineas, aut quas teneat ad affictum, vel Liuellum soluendo vuam, vel vinum pro liuello, non debeat vindemiare aliquo modo sine nuncio Domini, aut ipsius parabola, & qui contrafecerit soluat solidos xl. paruorum; Addentes, quod nulla persona audeat vindemiare aliquo modo, vel vindemiari

ri facere ante Kalendas Septembris sub pœna librarum v. paruorum nisi habuerit licentiam à Domino Vicecomite, & Dominus Vicecomes debeat dilligenter inquiri facere per Domos conficientes.

Si aliquis requisierit aliquem ad suum opus.

SI quis requisierit aliquem ad suum opus, & non acceperit, soluat sibi prætium diei, & tandundem pro expensis, & si operarius, qui promiserit non iuerit ad illud opus eius, qui eum requisierit soluat solidos v. & restituat damnum, si non habuerit iustum impedimentum.

De plena fide danda Libris Communis.

ITem, quod Catastris, & omnibus Libris Communis Adriæ, & introitum dicti Communis scriptis manu Publici Notarij detur, & adhibeatur plena fides vbique.

De iuramento Massarij Communis.

ITem, quod ille, qui fuerit Massarius Communis iuret, quod bona fide, & sine fraude saluabit, & custodiet omnia bona Ciuitatis, & Communis Adriæ, quæ peruenerit ad manus ipsius, & rationem monstrabit procuratoribus Communis de omnibus per eum administratis tempore debito, ac dicta bona Massario successori consignabit, pœna, & bano, si fuerit negligens solidorum centum.

De Præcone Communis.

ITem, quod ille, qui erit præco iuret, quod bona fide, & sine fraude præcipiet, & faciet fieri equaliter ab ominibns Adriæ factiones, & angarias Communis, & non dimitet vnum pro altero ad faciendum dictas factiones, nec inde pecuniam accipiet ab aliquo, & si contrafecerit soluat pro bano pro qualibet vice solidos quinque paruorum, & habeat dictus præco pro suo salario, id quod per Dominum Vicecomitem, & consules ei taxabitur, & nullam aliam faciat factionem, nec soluat collectam; Item, quod dictus præco debeat in sero ter pulsare Campanam, vt post tertium sonum dictæ Campanæ nemo vadat per Terram Adriæ.

De Iuratis Iustitiæ.

ITem statuimus, quod iuratores iustitiæ debeant iurare, quod bona fide, & sine fraude manutenebunt benè, & fideliter iustitiam, & facient omnes mensuras iustas, de quibus in statutis continetur, & omnes vendentes, & ementes, vti debeant mensuris illis iustis pœna cuilibet vendenti contrafacienti, de qua in alio Statuto fit mentio.

Quod iurati prouideant mensuris omni hebdomada.

ITem, quod dicti iurati iustitiæ debeant videre mensuras omni hebdomada, & semel pluries, totiens, quotiens placuerit Vicecomiti, & si aliqua mensura inuenta fuerit minus iuxta soluat pro bano ille, cuius fuerit solidos decem paruor. quo qualibet mensura iniusta, & frangatur mensura, & nullus vendat, nisi cum mensura bulata, quam iurati teneant bullare bullo Communis, & in Officio suo nulo dolo vtantur, & si mensura post quare fuerit facta iusta, inuenta fuerit minus iusta, soluat ille, cuius fuerit talis mensura, & quilibet etiam qui contrafecerit cuilibet dictorum capitulorum solidos decem paruorum.

Quod Tabernarius non vendat Vinum, nisi per iurator fuerit positum ad manum.

ITem, quod Tabernarius, vel Tabernaria, etiam habita licentia à superexistentib. datij non debeat vendere aliquod vinum, nisi per iuratos iustitiæ fuerit positum ad manum, & nisi verbum, aut licentiam habuerit à Viçecomite, quod etiam vendere possit habita parabola Vicecomitis; sed tamen denuntiatione super existentibus facta, & si contra-

fecerit

fecerit soluat pro bano communi solidos xx. paruorum, & dicti iurati non debeant ponere aliquod vinum ad manum sine licentia super existentium pœna, & bano solidorum xx. paru. pro quolibet ipsorum.

De Tabernarijs Villarum.

ITem, quod Tabernarij Villarum, & omnes Tabernarij Viscontariæ Adriæ vendere debeant vinum hominibus Adriæ ad illam mensuram, & pro illo prætio, quibus vendetur in Adria, & si quis contrafecerit soluat solidos V. par. pro qualibet vice fuerit contrafactum.

De Iuratis &c.

ITem, quod iurati, quando possent aliquem Vassellum vini ad manum duobus Mastellis superius bibere possint de dicto Vassello, quem ad manum posuerint vnum bocalem grossum illius vini sine aliqua solutione, videlicet, quod illud intelligatur esse pro suo salario: de vassello vini à duobus Mastellis inferius debeant habere medium bocalem grossum illius vini, & debeant sigillare cum sigillo Communis coconem, & suspiramen cuiuscumque Vasselli vini, quem ad manum posuerint, & dictos sigilos nemo remouere debeat, donec vinum fuerit totum venditum, pœna, & bano cuilibet contrafacienti solidorum X. par. tam dictis iuratis, quam alijs quibuscumque contrafacientibus, & dicti iurati non possint mittere domos suas dictum vinum, quod habere debent pro suo salario, sed illud in Taberna bibere debeant, pœna prædicta.

De extimatoribus Carnium.

ITem quod elligantur tres extimatores in Terra Adriæ, & duo in Villa Corbulæ à latere Burcellorum, & duo à latere Buscorum, qui iurent, quod bona fide extimabunt omnes carnes recentes, quæ vendentur videlicet illi de Adria carnes, quæ vendentur in Adria, & similiter illi de Corbula carnes, quæ vendentur in dictis locis singula singulis refferendo, nec aliquis debeat vendere aliquas carnes recentes domesticas, vel siluestres, nisi prætio illo, quo extimabuntur per dictos iuratos, quorum carnium quantitates denunciare debeant dictis iuratoribus eas vendere volentes, nec aliquis debeat vendere aliquas carnes, nisi prius visæ fuerint viuæ per iuratos prædictos, pœna cuilibet contrafacienti, & pro quolibet dictorum capitulorum, quibus fuerit contrafactum, solidorum XX. par.

Finis Secundi Tractatus.

TRACTATVS TERTIVS

Super Malefitijs.

Quibus modis potest procelli per Inquisitionem.

STatuimus, & ordinamus, quod in quibuscumque causis Criminalibus, in quibus secundum formam Statutorum, vel ijs defficientibus de iure communi est imposita pœna sanguinio, vel alia quæcumque, quam reus in corpus suum pati debet, possit Dominus Vicecomes cessante accusatione eorum, qui accusare possunt, & denuntiatione iuratorum procedere per inquisitionem contra eum, qui tale crimen diceretur fecisse, præcedentibus tamen legitimis indicijs, vel saltem præcedente publica, & fama probata ad minus per duos testes fide dignos, quæ probatio indiciorum, vel famæ possit recipi absente reo, contra quem inquiri debet, & non citato, vbi reus personaliter comparuerit, vel detentus fuerit, tunc non detur ei aliqua coppia, sed teneatur Dom. Vicecomes ei facere leggi, & declarari inditia, & omnia, quæ contra eum inducta sunt, vt ipse reus possit victa inditia purgare, & dicere, & allegare quid quid vult pro sua executione,

sed

ſed nomina teſtium non teneatur ei dicere, niſi quatenus ei viſum fuerit, quam deffenſionem teneatur Notarius ſcribere ſub pœna librarum v. paru. quibus accuſatis per Vicecomitem ſi iudebuntur ei vigere ſuperſedeat in proceſſu, donec veritas inditiorum, & eorum, quæ reus obijcit, & dicit pro ſua deffenſione pleniùs elluceſcat, & prædicta locum habeant in omnibus caſibus, præterquam in adulterio, quo caſu non volumus procedi poſſe per inquiſitionem, nec per denuntiationem alicuius officialis, ſeu iurati, ſed ſolum per accuſationem perſonarum, de quibus infra dicetur, in nullo autem aliorum caſuum poſſit per Vicecomitem procedi per inquiſitionem.

Quòd omnes iurati teneantur denunciare maleficia, & quomodo.

ITem, quod omnes Cauarzelani, & iurati teneantur denunciare Domino Vicecomiti, omnes defferentes arma vetita in ſuo Communi, & omnes rixas, & inſultas factas, & factos in ſuis fundis, ſiue cum armis ſiue ſine armis, ſiue ſanguinis exterit, ſiue non, dando, & nominando teſtes, & nomina teſtium, qui fuerunt præſentes rixis, inſultibus, & malefitijs, & ſi neſciat aliquos præſentes fuiſſe, nominare teneatur eos, à quibus dici audierunt talia comiſſa fuiſſe, & Notarius, qui ſcribet talem denunciam, teneatur in actis ſcribere nomina talium teſtium, quas denuntiationes dicti iurati, et Cauarzellani facere teneantur infra terminum dierum trium, ſi fuerint commiſſa in Villa Corbulæ, ſi verò exrta dictam Villam in diſtrictu tamen Adrienſi habeant terminum quinque dierum ſub pœna librarum v. paruor, pro qualibet vice, qua fuerit contrafactum, & prò quolibet Cauarzellanorum, et iurato, negligentibus prædicta facere; Nec ſufficiat, denuntiare alicui Notario, niſi ipſi Vicecomiti pœna Notario recipienti talem denuntiationem abſque conſcientia Vicecomitis librarum V paru. ei auferendarum de facto per Vicecomitem;

Quod Vicecomes teneatur procedere ſuper denuntijs iuratorum.

ITem, quod facta denunciatione per Cauarzellanum, et iuratos de rixis, vel inſultibus, teneatur Vicecomes procedere contra denunciatos, et condemnare, vel abſoluere; nec poſſit aliquem ommittere, qui puniri debent ſub pœna librar. xxv. paruorum, ſi talis debeat puniri in pecunia, ſi vero puniri debeat in perſona, tunc ſub pæna librarum L. paru. poſſit tamen Dom. Vicecomes, ſi dubitet Cauarzellanum, vel iuratos occultaſſe veritatem recipere informationem à teſtibus, et ab alijs, pro vt ei videbitur, et facere corrigi, et emendari denunciationes, ſecundum informationem per eos habitam, & ſi reperiat aliquem ex iuratis, aut Cauarzellanum doloſè verſatum in tali denunciatione facienda ipſum punire, mulitare, vel condemnare poſſit pro eius arbitrio, inſpecta conditione perſonarum, & qualitate delicti ocultati, vel doli adhibiti vſque ad quantitatem librarum XXV. par.

De modo procedendi ſuper Inquiſitionibus &c.

ITem, quod ſuper inquiſitionibus, & denunciationibus ſuper rixis, inſultibus, et maleficijs factis procedatur hoc ordine; Quod citetur reus, vel is, contra quem procedetur cum cedula continente, quod veniat ad fide iubendum, et ſe excuſandum ad quadam inquiſitione, vel denunciatione contra eum facta, formata, et inſtituta, vel ſi ſolitam habitationem non habeat fiat voce præconis in platea ante Lodiam Communis ſecundum, quod loquitur à Statuto deponente de citationibus, quod infra octo dies proximos futuros compareat coram Dom. Vicecomite ad fide iubendum, et defendendum, et ad reſpondendum, et opponendum tali inquiſitioni, vel denuntiationi contra eum factæ, et formatæ, vel inſtitutæ, alias eo in termino non comparente procedatur ſecundum formam Statutorum. Si autem talis taliter citatus non comparuerit, tunc citetur, et banniatur publicè ad Lodiam Communis alta voce præconis, quod infra alios octo compareat vt ſupra. Quibus omnibus terminis elapſis, et eo non comparente intelligatur eſſe verus contumax, et habetur pro confeſſo ipſo iure ſine alia denuntiatione, ſeu declaratione, et poſſit Dom. Vicecomes quandocumque procedere ad condemnationem, et executionem contra eum, tamquam ſi fuerit in iuditio legitimè confeſſus, vel conuinctus. Si autem ipſe, vel eius procurator, vel aliquis

pro

pro eo in casu, quo secundum formam iuris, et Statutorum alter pro eo potest comparere, comparuerit infra dictos terminos, vel etiam quandocumque non audiatur, nisi præstiterit fideiussionem idoneam de iuditio sisti iudicatum soluen. in casibus autem, in quibus non potest per procuratorem comparere, et vbicumque quomodo imponi posit pœna, quam in corpus suum pati debeat, siue simpliciter, siue sub conditione, tunc non admittatur satisdatio, sed si ipse comparuerit in carcerem mittatur, et ibi detineatur, et custodiatur, donec fuerit absolutus, vel si fuerit condemnatus, donec sententia fuerit executioni mandata, satisdatione autem præstita in casibus, in quibus admitti debet, non detineatur, nisi in casibus in quibus secundum formam Statutorum poni potest ad Torturam, tunc etiam detineatur vt infra dicetur.

REo autem comparente, & detento, vel fideiussionibus datis, & relaxato, tunc, vel quandocumque postea confiteatur in iuditio, assignetur ei terminus trium dierum ad faciendum omnes suas deffensiones, quo termino elapso amplius non audiatur, sed contra eum feratur sententia, & executioni mandetur, si autem negauerit, vel exemptionem apposuerit, tunc assignetur ei per Vicecomitem terminus xv. dierum ad faciendum omnes suas deffensiones, & fiat ei statim coppia inquisitionis, vel denunciationis, & omnium contra eum productorum, & actorum, & se eam petierit, possitque durante dicto termino recipi, & fieri probationes ex parte curiæ super intentione denunciationis, vel inquisitionis, vel super replicationibus non monito, nec citato reo, nec aliter de carceribus detracto, licet carceratus, dummodo testes iurent iuridicè coram Vicecomite sedendo pro Tribunali ad bancum hora iuris: per hanc enim constitutionem omnes, & singulos monemus, qui possunt per procuratore se diffendere, quatenus ipsi, vel eorum procuratores singulis diebus, & horis intersint in iudicio ad videndum omnia fieri, & produci, & ad petendum, & accipiendum coppiam omnium, quæ contra eos fient; sic etiam in casibus, in quibus procurator non admittitur ipsum reum monemus, quod personaliler compareat, si autem fuerit carceratus, monemus, quod procuratorem constituat, quem carcerato omni casu admitti volumus, qui procurator singulis diebus, & horis intersit in iudicio, vt supra.

ELapso autem dicto termino xv. dierum, omnia gesta, & acta intelligantur esse publicata, & denùo data coppia omnium actitatorum ipsi reo, vel eius procuratori, vt supra petenti, & statim ipso iure assignatus esse intelligatur terminus octo dierum ad reprobandum omnia gesta in termino probatorio, quo etiam termino elapso omnia gesta intelligantur publicata, & possit, & teneatur Dominus Vicecomes facere sententiam, absoluendo, vel condemnando, prout ei visum fuerit de iure, & secundum formam Statutorum faciendo.

De purgatione inditiorum contra Malefactores.

QVia multoties delicta non possunt plenè directè probari, statuimus, quod vbicumque Vicecomes viderit contra reum non esse delictum probatum, sed semiplenè, vel saltem supesse contra eum indicium, vel indicia sufficientia ad torturam, tunc si reus non est carceratur faciat, & facere teneatur citari eum cum cedula semel personaliter, vel ad domum solitæ habitationis, vel ad locum, ad quem ellegi citari cum relaxatione cedulæ, vel affixione ad ostium domus, quod personaliter compareat, & veniat ad se excusandum, & ad purgandum inditia, quæ contra eum sint, infra tres dies à die citationis, cum comminatione, quod eo non comparente Dom. Vicecomes pronunciabit ipsa indicia haberi pro vero, & pro plena probatione contra eum, & eùm non veniente ita pronunciet, & postea condemnetur, & exequatur secundum formam iuris, & Statutorum; Si autem venerit personaliter talis reus, tunc Vicecomes considerata qualitate facti, & personarum, & rei, & indictiorum pondere eam examinabit, & minabitur, & torquebit, prout videbitur expedire arbitrio boni viri, vt veritas ellucescat, & hæc solum habeant locum in casibus, in quibus potest reus poni ad torturam, vt in sequenti capitulo dicetur.

De arbitrio Vicecomitis in torquendo Malefactores.

ITem, quod possit Vicecomes quandocumque, siue post inquisitionem, accusationem, vel denuntiationem, vt supra dictum est, siue ante quandocumque ei videbitur reum detentum, & coram eo constitutum examinare, & torquere, vel torqueri facere præcedente legitimo inditio, vel inditijs secundum formam iuris, ne interim si differatur detur materia, & occasio ipsi reo ad veritatem occultandam. Nec audiatur aliquo casu reus coram Vicecomite constitutus, vel detentus, si petat copiam inditiorum cum termino ad opponendum, sed ei petenti teneatur Vicecomes inditium, vel inditia, quæ contra eum sunt legi facere, vt ipse reus tunc possit dicere, vel allegare contra dicta inditia quidquid voluerit pro sua deffensione; quam deffensionem teneatur Notarius scribere sub pœna librarum X.: Quibus auditis si Vicecomiti videbitur vigere, quod eius conscientiæ, & discretioni relinquimus supersedeat in tortura, donec veritas inditiorum, & eorum, quæ dicit reus ad suam deffensionem plenius possint haberi, non possit tamen aliquis torqueri pro veritate alicuius criminis indaganda, nisi fuerit præsens Notarius, & nisi inditium, vel inditia, quæ contra reum sunt, fuerint in scriptis redacta per manum Notarij, & nisi ratione delicti, de quo quæritur, deberet imponi pœna, quam reus deberet in corpus suum pati; vel pœna pecuniaria ascendens ad summam librarum quinquaginta par. sub pœna Vicecomiti, si contra fecerit librarum XXV. par. pro qualibet vice.

De modo procedendi per accusationem.

STatuimus, quod in accusationibus faciendis de maleficijs nullus admittatur ad accusandum de aliquo crimine, nisi præstita idonea satisdatione de expensis reficiendis, & de soluendo pęnam impositam non probante, qua satisdatione præstita admittatur eius accusatio, citetur reus, & procedatur secundum, & prout supra dictum est de modo procedendi super denunciationibus, & inquisitionibus, & omnia, quæ ibi dicta sunt circa modum procedendi hic intelligatur repetita; possit autem Dominus Vicecomes, vt maleficijs obuietur ex officio suo suplere, & adiuuare probationem accusationis, & negligente, vel dissimulante, ne veritas occultetur.

De pœna non probantis accusationem.

STatuimus, quod quotiescumque ad accusationem alicuius proceditur contra reum, si reus venerit absoluendus, intelligatur accusator ipso facto condemnatus in omnibus expensis ipsi reo, & si reus secundum formam accusationis debeat condemnari ad pœnam corporis afflictiuam, tunc accusator intelligatur condemnatus in libris XXV. paruor. si autem condemnari debeat in pecunia, tunc intelligatur accusator condemnatus in libris x. paru., & nihilominus possit ratione iniuriæ, vel infamiæ agere contra eum secundum formam iuris Communis, & hæc omnia, nisi ex iusta causa quod Vicecomes in sententia exprimere teneatur ipse accusator à prædictis fuerit absolutus.

Quando Reus possit se per Procuratorem deffendere.

ITem, quod in quibuscumque accusationibus, vel denuntiationibus, vel inquisitionibus, quæ fient contra aliquam personam occasione alicuius criminis, ex quo debeat imponi pœna, quam reus in corpus suum pati debeat, non admitatur procurator ad deffensionem accusati, vel denunciati, vel inquisiti super crimine faciendam, nec ad aliquas alias probationes occasione ipsius criminis inducendas, præterquam ad allegandas causas absentiæ apponendas, seu proponendas, & probandas admitatur, & audiatur. Nec possit procurator petere coppiam totius inquisitionis, ex eo, quia dicat se aliter non posse opponere exceptiones declinatorias, sed sufficiat si habeat titulum inquisitionis in genere, puta, quia dicatur; quod inquiritur contra reum, eo quod dicitur, quod de tali anno accidit talem sub iurisditione, & Territorio, vel dicatur, quod tali anno furatus est in domo talis, vel in tali loco, nec dicatur quid, nec quomodo, & sic de similibus, in alijs autem

criminibus admittatur procurator ad plenam deffensionem, & detur copia inquisitionis, & omnium actitatorum secundum petitum fuerit.

Quod solus Vicecomes audiat Querellas, & Reos respondentes.

ITem, quod nullus Notarius, nec aliquis alius possit aliquas alias accusationes, aut quærellas super maleficijs accipere, nec scribere, nisi talis quærella, vel accusio sit personaliter per ipsos facta coram Vicecomite; nec possit audire, nec accipere aliquas responsiones reorum, nisi in præsentia Domini Vicecomitis, nec possit comittere aliquam personam citari, vel reum, vel testem occasione maleficij nisi expresse talis citatio fuerit per Dominum Vicecomitem comissa, & sigillata, vel subscripta per ipsum Vicecomitem pœna, & bano cuilibet Notario contrafacienti pro qualibet vice librarum. III. paruor. & de facto auferendarum.

Quod Notarius teneatur accipere bonas securitates.

ITem, quod quilibet Notarius teneatur accipere bonas, & idoneas securitates ab illis, qui accusati, vel denunciati fuerint de aliquo maleficio, si venerit coram Domino Vicecomite.

Quod Notarij scribant nomina, & pronomina in accusis.

ITem, quod Notarij teneatur, & debeant scribere in accusis, denuntijs, & inquisitionibus, & condemnationibus nomina reorum, & pronomina, & terrarum vnde sint, vel vbi habitant pœna, & banno soluendi condemnationem factam de ipsis reis, & teneatur etiam Notarius; qui legerit, & publicauerit condemnationem nomen suum scribere pœna solidorum XX. paruorum.

Quod Notarius teneatur scribere nomina Præconum.

ITem, quod Notarius teneatur scribere nomina præconum in ambasciatis, & relationibus, & diem, qua dixerint se citasse, aut fecisse id, quod mandatum fuerit pœna solidorum X. paruor.

De remissionibus factis de accusationibus.

STatuimus, quod de quacumque iniuria facta alicui quomodocumque, sine sanguinis effusione, de qua fuerit facta pax, seu remissio denunciæ, vel pecuniæ, vel accusæ intelligantur esse remissa dimidia pœnæ, & solum ad dimidiam aliam pœnæ talis denunciatus, vel accusatus teneatur.

De solutionibus condemnationum, & cancellationibus.

QVicumque fuerit in pecunia condemnatus, teneatur soluere Massario Communis pecuniam, in qua condemnatus infra XV. dies à die condemationis, sub pœna soluendi quartam partem plus eo, quam condemnatus fuerit.

Quod singulis tribus mensibus fiant condemnationes.

ITem, quod singulis tribus mensibus Vicecomes teneatur facere omnes condemnationes maleficiorum, & damnorum datorum, que fieri potuerint dicto tempore sub pœna librarum quinque paruorum de suo salario, & cogere teneatur Notarium ad ordinandum processus, in quo possint fieri dictæ condemnationes sub pæna prædicta.

De blasphemantibus Deum, & eius Sanctos.

STatuimus, & ordinamus, & inuiolabiliter obseruari præcipimus, si quis blasphemauerit Deum, vel Gloriosam Virginem Mariam eius Matrem, aut verba contumeliosa contra eos dixerit de facto sine aliquo procelsu carceretur, nec relaxetur, donec solucrit libras quinque paruorum, & si fuerit impotens ad soluendum proyciatur, siue demer-

mergatur ter in aquam cum omnibus pannis, quos in dorso habebit, quando blasphemauit Deum desuper ponentem; si autem blasphemauerit Sanctos, vel Sancta Dei, & contumeliosa, vel iniuriosa verba contra eos dixerit, carceretur similiter, nec relaxetur, donec soluerit solidos XXV. paru. si autem fuerit impotens ad soluendum stet per tres dies in carceribus, quorum pænnarum dimidia sit accusatoris, & alia dimidia Communis, & credatur iuramento talis denuntiantis cum vno teste, & tenebitur secretus.

De proditoribus Illustrifsimi Domini Marchionis, aut sui status.

SI quis tractauerit, seu operam dederit super ijs, qui vrgerent ad damnum, aut detrimentum Illustrissimi Domini Marchionis, qui pro tempore tunc fuerit, aut iurium suorum, seu super ijs, propter quæ mutari, aut turbari possit pacificus status præfati Illustrissimi Domini Marchionis, si capiatur conducatur ad locum iustitiæ, & ibi laqueo suspendatur, & bona eius confiscentur, & ipso iure confiscata esse intelligantur à die perpetrati criminis, idem de omnibus tanta scelera attentantibus, seu tractantibus conscijs, aut ministris, aut præstantibus auxilium: si verò aliquæ talium personarum captæ non fuerint, sed fugerint ponantur in banno de omnibus Terris præfati Illustrissimi Domini Marchionis. Si quis autem etiam talis criminis particeps cognita talium consilior arcana patefecerit, absolutione, & venia dignus habebitur.

De iniuriante Vicecomitem.

QVicumque dixerit aliqua verba iniuriosa contra Vicecomitem, vel contra aliquem, qui loco eius esset, carceretur, de facto, nec relassetur, nisi prius etiam sine condemnatione soluat libras vigintiquinque paruor. & plus ad arbitrium Domini Vicecomitis vsque ad libras XXXX paru. inspecta qualitate verborum, & eorum importantia, & conditione personarum. Si quis autem contra eum aliqua arma euaginauerit, vel aliquo genere armorum contra eum admenauerit capite puniatur. Si verò contra Nuncios, vel præcones Communis, vel aliquem officialem Domini Marchionis aliqua verba iniuriosa dixerit, vel aliquod delictum punibile secundum formam Statutorum fecerit, dum Officium suum exercerent, condemnetur duplo eius, qui condemneretur, si contra aliam personam, quæ non esset officialis, illud dixisset, vel fecisset.

De verbis iniuriosis.

SI quis dementierit aliquem coram Domino Vicecomite, vel alia verba iniuriosa dixerit, soluat libras quatuor paruorum, & si alibi, quam coram prædicto, soluat libras tres paruorum.

De occidente aliquem in rixa, vel casu fortuito, cui culpa posit imputari.

SI quis pure in aliqua rixa, vel aliquo fortuito casu, in quo culpa possit sibi impuniri aliquem occiderit, si captus fuerit pæna capitis puniatur, & si fuerit rusticus, qui interfecerit ciuem in casibus prædictis, bona eius confiscentur, & confiscata esse intelligantur ipso iure à die perpetrati criminis, quorum dimidia perueniat in Commune, & alia dimidia in hæredis defuncti.

De facientibus homicidium ex iniurijs.

SI quis animo deliberato ex iniurijs, vel vulneribus receptis aliquem occiderit, & captus fuerit, pæna capitis puniatur, & si fugerit ponatur in bano sub pæna capitis de Viscontaria Adriæ, & de toto Territorio ferrariensi, & eius bona confiscentur, & confiscata esse intelligantur ipso iure à die perpetrati criminis, quorum bonorum medietas perueniat in Commune, & alia mediatas in hæredes defuncti, & si ex iniurijs, vel vulneribus pax consecuta fuerit, & illi, qui pacem fecerit occidat illum cum quo pacem fecerit puniatur

tur

tur Sicarius, vt infrà de faciente homicidium ex proposito, & omnes præstantes auxilium, consilium, vel fauorem dicta maleficia perpetranda puniantur similibus pœnis.

De faciente homicidium ex proposito, vel fieri faciente.

SI quis ex proposito, & animo deliberato homicidium fecerit, vel mandauerit, vel ex proposito, & animo deliberato insultum fecerit, seu fieri fecerit, vel mandauerit, propter quod homicidium secutum fuerit, & captus fuerit, ducatur ad locum, vbi dictum homicidium commissum fuerit, & ibi manus eius abscindatur, & ligetur ad eius collum, deinde ad locum Iustitiæ conducatur, & caput à spatulis separetur cum dolatura, ita quod moriatur, & bona eius confiscentur, & confiscata esse intelligantur ipso iure à die perpetrati criminis, ita quod medietas bonorum perueniat in Commune, alia medietas in hæredes defuncti, si verò fugerit ponatur in banno sub pœna prædicta de tota Viscontaria, & de Ferraria, & de omnibus locis Illustrissimi Domini Nostri, & bona similiter publicentur, vt supra, & similiter puniantur omnes præstantes auxilium, consilium, & fauorem ad dictum maleficium comittendum.

De Duplicatione Pœnarum.

QVod vti pro maleficio vbicumque in Viscontaria Adriæ commisso certa pœna est imposita per Statutum, in duplum imponatur dicta pœna, si maleficium fuerit comissum in Platea, vel Domum offensi, vel in Communis iuris, vel sub Lodia Communis, vel in Ecclesijs, vel in pleno arrengo, vel Consilio Ciuitatis Adriæ, in domo Domini Vicecomitis, intelligendo quod ex nulla prædictarum causarum fiat duplicatio, nisi semel, vbi vigore alicuius Statuti alterius esset facta duplicatio pœnæ ex aliqua alia causa in alio Statuto compræhensa, tunc intelligatur per hoc Statutum, & in casibus huius Statuti duplicari debere solum simplum illius duplicis.

De præstante auxilium ad insultum ad Domum.

ITem, quod præstantes auxilium, consilium, vel fauorem ad insultandum aliquam ad Domum suæ habitationis, siue cum armis, siue sine armis, siue percusserit, siue non, puniatur eadem pœna, qua ipsi principaliter delinquentes.

Si quis in vna Mischia in plura banna inciderit.

ITem, si quis in vna Mischia, vel in vno facto in plura banna inciderit feriendo, seu vulnerando auferatur ei solum vnum bannum tantum, & maius puta si in eodem acto fecerit insultum ad menationem, percussionem, & vulnus, tunc non puniatur nisi pro vulnere, vbi autem fecerit plures percussiones, vel plura vulnera puniatur pro qualibet de per se, & hoc locum habeat, quando vnus vnum tantum percusserit, seu vulnerauerit, si autem plures percusserit, seu vulnerauerit, tunc pro omnibus feritis, seu vulneribus factis in singulis condemnetur secundum formam Statutorum.

Quod Patres possint verberare Filios, & Mariti Vxores, & Concubinarij Concubinas.

ITem, quod partes possint impunè verberare filios suos, & castigare, & mariti suas vxores, & Concubinarij suas Concubinas, quas tenerent in domo, dummodo eas non occidant, vel trecias incidant, saluo quod si sanguinem fecerint cum manibus, vel baculo, vel faciendo eas cedere in terram, & in nihilum condemnentur.

De pœna facientis, vel fieri facientis Instrumentum falsum.

SI quis Notarius fecerit Instrumentum falsum condemnetur in Libris ducentis paruor. & si soluere non poterit vsque ad decem dies, abscindatur ei vna manus, & ab omni Officio

ficio

ficio priuatur: Si quis autem fecerit fieri falſum Inſtrumentum per Notarium aliquem condemnetur in libris ducentis.

De producente falſum Teſtem, vel falſum Inſtrumentum.

SI quis produxerit in iudicio ſcienter falſum Teſtem, vel falſum Inſtrumentum condemnetur iu libris ducentis paruor. ſi verò produxerit falſum Codicem rationem, vel aliam falſam Scripturam priuatam, condemnetur in libris centum paruor.

Melius eſt bonum nomen, quam diuitiæ multæ.

De pœna falſi Teſtis.

SI quis dixerit falſum Teſtimonium cum Iuramento, condemnetur in libris centum par. quas ſi non ſoluerit infrà X. dies ſtare debeat per totum vnum diem integrum ad catenam cum mitria vna ſuper platea Communis, & poſtea reducatur ad Carceres, nec idem relaxetur donec ſoluerit dictas libras centum.

De pœna aufferentis rem, quam credit eſſe ſuam.

SI quis per violentiam abſtulerit rem aliquam, credens eſſe ſuam, ſi valuerit ſolidos XX. vel infrà ſoluat ſolidos XL. & ſi valuerit vltra ſolidos XX. ſoluat LX. & ſuum ius amitat, & rem.

De pœna turbantis poſſeſſionem alicuius.

SI quis animo turbandi poſſeſſionem alicuius in re immobili aliquem factum fecerit, puta arrando, ſeminando, vel fructus viam maturos colligendo, vel aliter ſoluat libras XXV. paruor. & condemnetur ad deſiſtendum à turbatione prædicta, & intelligatur feciſſe animo turbandi poſſeſſionem eo ipſo, quod ipſe conuentus in iudicio contendit ſe poſſidere, & probatur eo tempore accuſantem fuiſſe poſſeſſionem, ſi verò talis accuſatus non dicat ſe poſſidere, ſed dicat ſe ex alia cauſa, vel iure feciſſe, vel dicat ſe illud feciſſe nomine alterius, cuius fortè eſt laborator, tunc contra ipſum amplius non procedatur ſuper accuſa de turbata poſſeſſione, ſed citetur ille, cuius nomine dicit id ſe fecisſe, qui ſi contendat ſe poſſidere condemnetur vt ſupra alias non, ſed hoc caſu condemnetur ad damnum, & intereſſe poſseſsoris ipſius rei, & in expenſis, niſi docuerint ſe iuſtè, & legitimè id facere potuisſe: Si quis verò per vim poſseſsionem alicuius occupauerit ipſum poſseſsorem expellendo, vel ab ingreſsu prohibendo, vi, vel metu, tunc condemnetur Communi in lib. L. paruor. & admittatur omne ius, quod habeat in re inuaſa, ſi ius aliquod in re habeat, ſi autem ius in ea non habeat condemnetur ad veram eſtimationem ipſius rei dandam aduerſario, qui erat in poſseſsionem, in ijs ſcilicet caſibus, in quibus inciderit in Conſtitutionem ſi quis in tantam, Codice vnde vi, medietas autem pœnarum, ſupra Scripturarum volumus applicari Communi, & alia medietas paſso iniuriam. Quod tibi ne vis, alteri ne feceris.

De pœna detinentis aliquem ſua auctoritate propria.

ITem, quod nulli liceat ſua auctoritate aliquem capere, & detinere in victum, & qui contrafecerit ſi aliquem per horam detinuerit, vel minus, ſoluat pro banno libras quinque paruor. ſi plus hora detinuerit ſoluat libras X. paruor. dummodo non detineat vltra hora xxiiij. ſi verò tenuerit vltra horas xxiiij. ſoluat libras centum, prædicta autem locum habeant, niſi fuerit latro, vel aliquis malefactor, vel fraudator Datiorum fugiens, vel fugitiuus. Quos volumus poſse capi, & detineri per quemcumque pro ipſis Vicecomitem ducendis, niſi eſset debi tor fugiens cum pecunia, vel re aliena, quo caſu liceat creditori ipſum capere, & ad Vicecomitem ducere, vel ei rem ſuam auferre, & niſi talis detinens eſt Tabernarius, cui liceat detinere in domo ſua comedentes, & bibentes, donec ei ſatisfecerint, dummodo in prædictis caſibus tales detinentes, ſeu rem auferentes ea die, vel ſequenti eos detentos conducant coram Dominum Vicecomitem, vel ſaltem infra dictum terminum ei denunciauerint,

quod tales detinuerint, vel talem rem à tali fugiente abstulerint, & ex qua causa alias eis hoc non faciente incurrant in pœnis prædictis.

De pœna frangentis carceres.

SI quis carceratus in carceribus Communis pro aliquo debito pecuniario, vel pro aliquo delicto, ex quo imponi debeat pœna pecuniaria, ex dictis carceribus exiuerit frangendo ipsos carceres condamnetur in libras quinquaginta paruor. Et qui auxilium, consilium, vel fauorem præstiterit ei ad frangendum dictos carceres, & qui fregerit etiam non carceratus condamnetur in libris quinquaginta paruorum, & ad soluendum illam denariorum quantitatem pro qua esset carceratus, & si foret carceratus ob aliquod delictum, ex quo deberet pœna imponi in corpus ipsius carcerati, tunc quicumque dicto carcerato auxilium, consilium, vel fauorem præstiterit in frangendo dictos carceres, aut qui pro eo fregerit puniatur eadem pœna, qua dictus carceratus puniendus erat, à qua pœna redimere se possit vsque ad vnum mensem pro libris quingentis paruor. applicandis Communi.

De comburente scienter Domum aliquam.

SI quis scienter combureret domum aliquam, aut incendium fecerit in aliqua Domo meta Furmenti palleario, vel lignario iuxta aliquam domum facto, ex quo sequatur combustio domus, capite puniatur, & qui accusabit eum lucrabitur à Commune libras quinquaginta paruor. & tenebitur in credentia.

De faciente merchantiones alienas esse suas.

ITem, quod nulla persona tarrigena, vel forensis dicat alienas merchantiones esse suas pœna, & banno perdendi ipsas res, vel prætium earum, & libras decem paruor.

De pœna remouentis terminos.

SI quis terminum positum inter se, & vicinum suum per iuratos remouerit soluat libras decem paruor. incontinenti.

De pœna leuantis Decimam.

ITem, quod nullus decimalis, aut aliqua persona audeat, vel præsumat accipere bladum aliquod, vel aliquas fruges de campo aliquo sub prætextu decimæ, vel quartesii, nisi requisito per se, vel per eius nuncium domino laboratore, vel Castaldio; ne illius personæ, cuius esset campus ille, de quo vellet leuare decimam, vel quartesium personaliter, vel ad Domum pœna solidorum XL. paruor. & restituendi fruges, quas accepisset. Et credatur de requisitione Domini Laboratoris, vel Castaldionis Sacramento decimalis, vel sui carezatoris cum vno teste fide digno, & versa vice ab eadem pœna incidat quælibet persona, quæ leuaret de campo, vel area aliquas frugas, nisi prius requisiuerit decimalem, vel eius nuncium, qui vadat ad accipiendum decimam suam, quæ sibi deberetur Sacramento domini, vel laboratoris, vel eius nuncii, cum vno teste fide digno.

De Iuratorum Iustitiæ Salario.

ITem, quod Iurati Iustitiæ habere debeant de qualibet bestia, quam estibunt solidum vnum paruor. scilicet de bestia Bouina, & Porcina, & de qualibet Agno hedo, vel Castrone denarios sex paruor. & aliquis non debeat dicere dedecus iuratis prædictis quando se exercebunt circa Officium suum pœna solidorum XX. paruor. & si aliquis ex dictis Iuratis, qui estimare debeant dictas bestias non esset infrà, tunc Vicecomes debeat elligere loco deficientis alium, qui ellectus habere debeat salarium deficientis, & iurati extimatores prædicti non debeant estimare dictas bestias, nisi eas viderint viuas, & interiora ipsarum antequam de eis extrahantur, vt videatur si dicta bestia fuerit morbosa, aut vitiosa, quam si sic inuenta fuerit non estimare debeant, nec vendantur ad libram, sed ad pecias, nec iurati possint dare licentiam alicui occidendi bestiam aliquam, nisi eam viderint viuam, & si quis

con-

contrafecerit ſoluat pro qualibet dictorum capitulorum, quibus, vel cui fuerit contrafactum ſolidos XX. paruor.

De Iuratis ſuper Ignem.

ELligantur ſex homines, videlicet tres à latere Caſtri, & tres à latere Tombæ, qui prouidere debeant rebus malè ſtantibus occaſione ignis, & qui iurare debeant, quod bona fide, & ſine fraude prouidebunt per domos Adriæ: & ſi aliquid inuenerint malè ſtare occaſione ignis illud faciant deſtrui, & ſi quis mandatis dictorum iuratorum contrafecerit ſoluat pro banno ſolidos X. paruor. & nihilominus teneatur obedire mandatis dictorum iuratorum, & dicti iurati omnes, vel ad minus ex ipſis duo debeant omni hebdomada ire tentatu per domos hominum, & per terram Adriæ, ſi quid viderint periculoſum ex igne, & ſi quis dictorum iuratorum contrafecerit ſoluat pro banno ſolidos x. paruor. pro quolibet dictorum capitulorum.

Quod nullus faciat Ignem de Canna.

ORdinamus; quod aliqua perſona maſculus, vel fœmina non debeat facere in vis, nec ſub porticubus, nec alicubi in terra Adriæ à latere Caſtri, nec Tombæ ignem de canna ſolidorum X. paruor. niſi in domibus vbi fuerit copertum, & ſi aliquis voluerit facere ignem de canna non relinquat illum ſolum, ſed ad eius cuſtodiam dimittat maiorem decem annis; & ſi quis contrafecerit ſoluat pro banno ſolidos X paruor. & taliter extinguat ſoliginem dictæ cannæ, quod vlterius non accendatur pœna prædicta, quem fuliginem incontinenti cum fuerint extinctus portari faciat extra domum in locum vbi vlterius ſi accenderetur non poſſet imminere periculum, & aliquis non debeat illum portare in curtis, & ſi quis contrafecerit ſoluat pro banno ſolidos centum paruor.

Si Ignis accenderetur ille, qui viderit ignem cridet.

ORdinamus, quod ſi ignis accenderetur in Domo alicuius, vel alibi, quicumque viderit dictum ignem ſtatim debeat cridare ad ignem aliter quod audiatur à ſuis conuicinis pœna ſolidorum centum paruorum, & quando fuerit immenſus ventus nemo habens ignem in domo debeat diſcedere de domo, niſi dimiſerit aliquem maiorem annis xiiii. qui curam, & cuſtodiam habeat de dicto igne, pœna ſolidorum xx. cuilibet contrafacienti, & Vicecomes tunc faciat iuratus ignis perquirere per Domos Adriæ, ſi in aliqua Domo eſſet ignis ſine cuſtodia, quod etiam facere poſſint dicti iurati ſi de præcepto aliquo Vicecomitis, & nullus portet per Terram Adriæ aliquam facem accenſam pœna ſolidorum quadraginta paruor. pro quolibet contrafacienti, & nullus minor X. annis maſculus, vel fœmina debeat ire per ignem pœna eum mitenti ſolidorum iiij. paruorum, nec portare debeat aliquis ignem diſcopertum pœna prædicta.

Quod nullus teneat paueria vbi ſit Ignis.

ITem aliquis non debeat tenere pauerias vbi ſit ignis in aliqua domo, & ſi aliquis contrafecerit ſoluat pro banno ſolidos decem paruor., & nihilominus ipſas remouere teneatur, ſaluo quod quilibet poſſit tenere pauerias ſub porticubus ſuis vbi non eſt periculum ignis, & hoc ſit improuiſionem iuratorum, & ſi aliquis voluerit tenere pauerias ſub porticubus poſſit eas tenere non impediendo capita ſuorum porticum.

De Fornariys.

STatuimus, quod aliquis Fornarius maſculus, vel fœmina non debeat tenere plus vno faſſo cannæ in domo, vbi eſt ſitus Fornus, quod ſi contrafecerit ſoluat pro banno ſolidos X. paruor., & nullus Fornarius quando ignis eſt in forno non debeat diſcedere à forno quoniam dimittat aliquem, qui cuſtodiat dictum ignem, & ſi contrafecerit ſoluat pro banno ſolidos iij. paruor. Item qod nullus poſſit tenere in terra Adriæ pluries tribus faſſibus de canna, ſaluo quod Fornaria, quæ poſſit tenere quatuor faſſos extra domum tamen

men furni pœnà solidorum duorum par. puo quolibet fasse, & fornaria teneatur portare vltra fossam Communis fuliginem furni pœna solidorum quinque.

Quod nulla domus inuoluatur de canna.

ORdinamus, quod nulla domus debeat inuolui, neque copri de cana in terra Adriæ à latere Castri, nisi fuerit porcile pœna solidorum quinquaginta par. & destruatur domus, & quicumque habet domum inuolutam de canna debeat facere scorozatum de vimenis smaltatum cum creda à tribus lateribus domus circa vbi fit ignis.

Quod nemo debeat tragitare vltra Terrarios Communis.

STatuimus, quod nemo debeat tragitare vltra terrarios Communis, nisi fortè in seruitio Communitatis, & si quis contrafecerit soluat pro bano solidos X. par. & quod Vicecomes teneatur, & debeat facere iurare molendinarios, qui manifestabunt quæmlibet facientem contra.

Quod nullus scindat pisces in Terram Adriæ.

ORdinams, quo nemo debeat scindere pisces intra setas Terræ Adriæ ab vtrique latere, sed potius in loco, vbi proyciant budellas dictorum piscium. Et si quis contrafecerit soluat pro bano solidos viginti par.

Quod nullus vadat ad Vinea Tombæ, nisi per portam.

VOlemus, quod aliqua persona vadat ad Vineas Tombæ, nisi per portam, quæ est ad Tombam pœna, & banno solidorum quatuor par. pro qualibet Vice contrafafacienti.

Finis Tertij Tractatus.

TRACTATVS QVARTVS

De Adulterijs, & Stupris, §. 3.

De Raptu mulieris honestæ vitæ, de cognoscente eam per vim, & de Pœna.

STatuimus, & ordinamus, quod quicumque mulierem aliquam Virginem, seu Viduam, vel Maritatam honestæ vitæ per vim carnaliter cognouerit, rapuerit, vel aduxerit violenter pæna capitis puniatur, & bona sua à Commune deuoluantur, & publicentur deducta dote mulieris sic raptæ, vel violatæ, & eadem pœna puniantur dantes, aut prestantes auxilium, comitendum, vel fauorem ad dictum delictum, dum vemititur. Si verò aliqua persona alicuius status, aut conditionis cuiuscũq; existat, siue cognatus, siue affinis post dictum maleficium comissum statim dum duceretur ipsa rapta perceperit, seu receptauerit, aut receptari fecerint scienter prædictos comitentes puniatur in amputatione vnius manus, quam exigere possit pro libris quingentis par. vsque ad vnum mensem à die latæ Sententiæ computandum.

Quod omnes teneantur prosequi rapientes mulieres.

ITem, quod quilibet districtualis, ad cuius notitiam venerit, quod aliquis, vel aliqui rapiant

rapiant, vel ducant mulierem per vim raptam, per vim carnaliter cognoſcere velint de quibus in præcedenti capitulo, teneantur conuocare vicinos ſuos Villæ, per quam tranſirent dicti malefactores, vel in qua eſſent, & operari cum toto poſſe dictæ Villæ, vel Viciniæ, quod prædicti malefactores capiantur. Et ſi homines dictæ Villæ, aut vicinantiæ neglexerint facere ſuum poſſe pro capiendis ſic delinquentibus puniatur Commune dictæ Villæ, vel homines dictæ vicinantiæ in libris centum par. & in pluribus arbitrio Dom. Vicecomitis, & quælibet perſona dictæ Villæ, ſeu vicinantiæ, quæ hoc ſciret ſtatim ſonare teneatur campanas dictæ Villæ ad martellum, & conuocare homines dictæ Villæ ad maleficium prædictum pœna librarum centum par. & fuſtigationis bis per Villam, & homines dictæ Villæ ſtatis inſequi debeant malefactores prædictos, & eos capere, & mulierem raptam, vel violatam de eorum manibus eripere, & prædictos captos præſentare in manibus Domini Vicecomitis. Et circa prædicta facienda teneantur dicti homines facere ſuum poſſe ſub pœna ipſi Communi, & hominibus librar. centum par. & plus, & minus arbitrio Dom. Vicecomitis. Et ſi dicta Villa non haberet Campanas, tunc perſona, quæ ſciret dictum maleficium teneatur pro poſſe conuocare vicinos, & conuocare vt ſupra; & nullo caſu mulier ipſa ſit rapta, vel violata aliqua pena patiatur § 3.; ſi homines dictæ Villæ, aut agnati, cognati, vel affines mulieris raptæ, vel violatæ, vel alij aliqui volentes accipere de manibus ipſorum raptorum dictam mulierem, aut volentes capere ipſos, aliquem de ipſis raptoribus, aut de præſtantibus auxilium, vel fauorem occiderint nullam pœnam patiantur.

De Dote conſtituenda mulieri raptæ, vel violatæ.

ITem, qui mulierem aliquam virginum, aut viduam honeſtæ vitæ per vim rapuerit, aut per vim carnaliter cognouerit vltra prædicta ſupraſcripta teneatur dare de ſuo habere muliere taliter raptæ, vel violatæ illud, quod videbitur Domino Vicecomiti competes loco dotis, ſiue ipſa voluerit nubere, ſiue non, ſiue habuerit aliam dotem conſtitutam, ſiue non, & hoc inſpecta qualitate, & conditione perſonarum, & conſuetudinem Ciuitatis Adriæ.

De rapiente, vel cognoſcente carnaliter per vim mulierem ſolutam.

QVicumque per vim rapuerit, vel carnaliter per vim cognouerit mulierem ſolutam, non viduam, neque virginem honeſtè viuentem condemnetur in libris ducentis paruor. niſi fuerit ſubſecutum Matrimonium inter eos, quo caſu minus, aut in nihilo condemnetur arbitrio Domini Vicecomitis inſpecta qualitate facti, & perſonarum. Si verò talis mulier fuerit inhoneſtæ vitæ, tum talis raptor, aut violator condamnetur in libris centum paruorum, niſi ſecutum fuerit Matrimonium inter eos, vt ſupra.

De mulieribus honeſtæ vitæ per vim oſculatis.

QVi aliquam mulierem vxoratam, vel virginem viro potentem tantum, vel viduam honeſtæ vitæ contra eius voluntatem animo cognoſcendi eas carnaliter oſculatus tantum fuerit, vel tamen panos eius animo prædicto ſquarzauerit, ſeu dilaniaueri t, vel proceſſerit ad alium actum Veneris, vel iuerint de nocte volendo per vim intrare Domum, & etiam aliter intrando domum ſuam de nocte eodem omni animo, condemnetur in libris ducentis par. vel in pluribus, vſque ad libras quingentas parv. in arbitrium D. Vicecomitis. Si verò ſit virgo, vel vidua inhoneſtæ vitæ, tunc in libris quinquaginta par. & minus arbitrio D. Vicecomitis vſque ad libras vigintiquinque, & eadem pœna puniantur mulieres ad hoc conſentientes, ſaluo quod prædicta non vendicet locum in publicis meretricibus.

Quando intelligatur facta violentia.

ITem ſtatuimus, quod in ijs Statutis vbicumque ſit mentio de violentia, vel rapina facta mulieribus, intelligatur quando rapina, vel violentia interuenerit actualiter, & de facto ipſa renitente, vel cridante, vbi autem ipſa mulier verbis adulatorijs, vel perſuaſionibus, aut promiſſionibus fuerit ſeducta, vel cognita, tunc ſpontaneus caſus intelligatur.

Quando dicatur factum esse aliquid animo cognoscendi carnaliter.

ITem statuimus; quod vbicumque sit dubium, an anctus factus per aliquem, contra aliquam mulierem, sit, vel fuerit actus Venerijs, vel factis animo cognoscendi carnaliter, stetur determinandi Domini Vicecomitis.

De Virgine, vel Vidua honestæ vitæ spontè cognita.

SI mulier Vidua, vel virgo honestæ vitæ spontè cognita carnaliter fuerit stuprator, & cognitor condemnetur in libris centum par. vel pluribus vsque ad libris ducentis arbitrio Dom. Vicecomitis habita consideratione personæ, & facti, & mulier Vidua in libris XXV. par. condemnetur, nisi Matrimonium subsecutum fuerit inter eos. Quo casu volumus mitius condemnari ad arbitrium Dom. Vicecomitis, & credatur de cognitione probantibus etiam testibus singularibus in arbitrio Dom. Vicecomitis fama publica præcedente.

De famula carnaliter cognita.

SI quis carnaliter cognouerit aliquam suam famulam, spontè, & voluntariè, nullam pænam patiatur, & voluntariè cognita intelligatur esse si non cridauerit piusque cognoscatur.

De Incestu scienter comisso.

PRo incestu scienter commisso cum aliqua muliere cum ascendentibus, vel descendentibus, aut sorore, vel nouercha, vel vxore fratris mares, & fæminæ vltimo suplicio, in alijs verò incestis puniat.pæna adulterij, videl. in lib.quingentis par.condemnetur, & ad standum per mensem continuum in carceribus, ex quibus exire non posit, nisi primo soluta pæna pecuniaria.

De Virgine à decem annis infra stuprata.

SI mulier virgo à decem annis infra fuerit stuprata, stuprator pæna capitis, vel concremetur ad arbitrium Dom. Vicecomitis, si in decenio constituta, vel ab inde supra, si non, dumtamen viro potens sit puniatur stuprator pæna capitis, nisi caput redimerit post condemnationem factam infra decem dies pro libris quingentis paruor.

De muliere, vel Masculo poluto contra naturam.

QVi mulierem, vel masculum polucrit contra naturam, comburetur igne, patiens verò puniatur, & castigetur, aut etiam absoluatur arbitrio D. Vicecomitis considerata qualitate facti, & personæ, & etate sua.

Quod mulier possit exheredari pro stuprum, vel adulterium.

ITem, quod vbicumque mulier passa est se stuprari, vel adulterari posit iustè, & rationabiliter exheredari à suo etiam debito bonorum subsidio priuari per parentes vtriusque sexus nisi ipsi exheredanti possit aliquis dolus circa stuprum, vel adulterium imputari.

Quæ præsumitur esse Virgo.

ITem, quod vbicumque in præsentibus Statutis circa stupra, & raptus sit mentio de Virgine, non intelligatur, quod maior XX. annis sit virgo, nisi probatum fuerit ipsam fore honestæ conuersationis, & vitæ, & publicè pro Virgine raputari.

De Adulterio.

STatuimus, quod si mulier aliqua ignorante non consentiente marito comiterit adulterium cum aliquo, hoc casu adulter condemnetur in libris CCCCC. par. adultera verò si maritus voluerit capite puniatur, & dosciis in solidum debent virò applicari, nisi

ipsa

ipsa mulier, quæ comiserit adulterium fuerint meretrix publica, aut de voluntate mariti sui comiserit adulterium; quibus casibus nec ipsa, nec adulter nullam pœnam patiatur.

De traducente Vxorem alicuius Marito.

QVi vxorem, alicus volentem transduxerit à Marito inuicto, vel ignorante de die, vel de nocte cum rebus aliquibus, vel sine, & ipsa non cognouerit carnaliter condemnetur in libris CC. par. Si verò eam transductam spontè carnaliter cognouerit, condamnetur solum pœna imposita pro adulterio spontè commisso.

Quod pro Adulterio non possit procedi nisi per accusam certarum personarum.

STatuimus, quod pro adulterio commisso non possit procedi contra adulteram mulierem, nisi per accusam, vel quærellam Mariti contra adulteram verò procedi non possit, nisi per accusam, aut quærellam Mariti, vel Soceri, aut Patris, aut Fratris, seu Filij, vel Fratris ipsius mulieris adulteræ, vel Fratris Mariti sui, aut Aüi Paterni, vel Materni ipsius Mariti, vel ipsius adulteræ, vel alterius eorum.

Quod omnes mediatores, & ruffiani puniantur.

STatuimus, quod in quolibet casuum prædictorum in Statutis huius tractatus, Ruffiani, Lenones, mediatores, vel scienter præbentes domum, vel quicumque alio modo præbentes auxilium, aliquod, vel opem ad prædicta comitenda, vel aliquod prædictorum puniantur simili pœna, qua principalis delinquens puniri deberet.

De habente vxorem, & contrahente cum alia Matrimonium.

QVicumque habens vxorem contraxerit cum alia Matrimonium condemnetur in libris CCCCC. par. & ad standum in carceribus Comunis per vnum annum continuum, & dictus annus nunquam incipiat currere, nisi prius prædicta pecuniaria condemnatio soluatur. Et idem intelligatur de mulieribus, quæ habentes Maritum contraherent Matrimonium cum alio viro vxorem habente.

De infamia aliquam vxorem, quod sit vxor sua.

SI quis infamauerit aliquam vxorem bonæ; & honestæ vitæ, asserens illam esse suam vxorem, vel eam cognouisse carnaliter, vel alios actus illicitos in eam commisisse, vel manum in fidem habuisse. Et infra mensem sibi per Vicecomitem assignandum ad instantiam mulieris, & cuiuslibet legitimè pro ea interuenientis non probauerit condemnetur ad standum per annum continuum in carceribus, & in libris centum par. & non incipiat currere terminus carceris, nisi prius condemnatione soluta.

De minore vigintiquinque Annis se Maritante absque licentia attinentium suorum.

STatuimus, & ordinamus, quod nulla mulier siue virgo, siue cognita, quæ tamen non sit Vidua, si est minor vigintiquinque, quæ habet patrem, vel auum paternum, aut matrem audeat se maritare palam, vel occultè, vel promissione de se maritando facere, aut manum in fidem personaliter, vel interpositam personam dare alicui homini, vel cum aliquo homine aliquo modo, ingenio, vel forma sine expressa licentia, voluntate, & consensu patris, aut aui, aut matris, si vnus ipsorum viuerit solum, & si pater ipsius viuerit exigatur solus consensus patris, patre autem mortuo exigatur solus consensus aui, vtroque verò ipsorum deficiente exigatur solum consensus matris, & quæcumque contrafecerit ipso iure priuata sit omni iure dotali, quo possit aliquem prædictor.

astrin-

astringere ad se dotandum, & non possit capere de bonis prædictorum vel alicuius eorum ab intestato discedentium quidquam aliquo modo, vel forma, & incapax esse intelligatur ipso iure, & facto quo ad bona prædictorum ab intestato decedentium; & nihilominus ipso facto condemnetur, & condemnata esse intelligatur ad standum in carceribus Communis cum pane, & aqua simplicibus, & dumtaxat triginta diebus continuis. Homo autem ille, cum quo talis mulier aliquod prædictorum fecerit, condemnetur ipso facto in libris centum paruor. & ad standum per annum in carceribus Communis, & dictus annus numquam incipiat varrere, nisi facta solutione condemnationis prædictæ; si autem talis mulier haberet solum fratres non audeat, vel præsumat aliquod prædictorum facere sine expressa licentia fratris, si vnum solum habeat, vel vnius ex fratribus, si plures vno habeat, qui tamen sit maior annis XX. & sanæ mentis, sub pœna ipsi mulieri, & ipsi viro supradicta. Qui autem in prædictis, vel aliquod prædictorum fuerit testis, vel nuncius, aut eis auxilium, consilium, & fauorem præbuerit condemnetur in libris centum paruor. & si visum fuerit Vicecomiti, quod pœnam prædictam pecuniariam, non possit soluere propter eius paupertatem, tunc condemnetur si fuerit masculus ad standum in carceribus Communis, per vnum annum continuum, si autem fuerit fœmina condemnetur dumtaxat ad standum in carceribus, cum pane, & aqua simplicibus triginta diebus, mulier autem maior annis XXV. possit se impuni cuicumque voluerit maritare, & petens se dotari audiatur, contra patrem, matrem, vel auum, seu fratrem, vel fratres secundum iuris ordinem, & dotari debeat per ipsos, & possint astringi ad dotandum ipsam secundum conditionem, & facultates eorum.

De Insultu.

SI quis fuerit insultum contra aliquem cum Armis interdictis, & non percusserit eum soluat pro banno solidos XL. paruor. & si percusserit eum cum manibus, siue cum baculo, vel cum alijs Armis interdictis, si sanguis non exierit soluat pro pœna pro qualibet percussione libras iij. paruor. & si sanguis exierit soluat pro qualibet percussione libras V. paruor. & si percusserit aliquem cum Armis interdictis, & sanguis non exierit soluat pro pœna libras quinque paruor. pro qualibet percussione solidos XL. paruor. & si sanguis exierit soluat pro pœna pro qualibet vice libras XXV paruor. & pro armis solidos XL. paruor. & expensas, quas fecerit vulneratus in faciendo se medicari, & si aliquis fuerit insultum contra aliquem cum Armis interdictis, & sanguis non exierit soluat pro pœna libras tres paru. & pro Armis interdictis libras duas paruor. Item si quis dederit alapam alicui super faciem manu aperta soluat pro pœna libras V. paruor. Item si quis dederit, aut verberauerit aliquem cum pugno manu, vel pede soluat pro pœna libras tres paruor. Si fuerit duæ percussiones, & ab inde infrà, & si fuerint tres percussiones, & ab inde supra soluat pro pœna pro qualibet percussione solidos XL. paruor. Item si quis percusserit aliquem studiosè in districtu Adriæ soluat pro pœna libras X. paruor. Si sanguis non exierit, & si sanguis exierit soluat pro pœna libras XXV. paruor. Et hæc intelligantur si omnia supradicta fuerint de die, & si de nocte soluat duplum. Item si qnis discapilauerit aliquem soluat pro pœna solidos XX. paruor. & si quis prædictis pacem habuerit ab offensis remittatur ei in dimidia condemnatione, & si quis dederit alicui auxilium, consilium, vel fauorem ad prædicta comittenda eodem modo puniatur.

Quod aliquis forbannitus occasione Maleficij non recipiatur ad standum in Terra Adriæ.

STatuimus, quod aliquis forbannitus de sua terra occasione Maleficij, vel aliter quia sit malæ famæ non recipiatur ad standum in Terra Adriæ, & si quis de prædictis venerit ad standum in dicta terra non acceptetur, & licentietur infrà tertiam diem. Item quod nullus forensis cuiuscumque conditionis sit non debeat morari in Terra Adriæ

cum

cum Maſſaritijs, vel ſine, niſi cum licentia Domini Vicecomitis, & Conſulum Communis Adriæ, nec aliquis de Adria debeat dare aliquam domum ad affictum alicui forenſi Bannito de Terra ſua pœna, & banno librarum decem paruor.

Finis Quarti Tractatus.

TRACTATVS QVINTVS

Super factis Molendinariorum.

STatuimus, & ordinamus, quod contra Molendinarios, non poſſit procedi, niſi per accuſam, aut quærelam eius, cuius intereſt, & facta accuſa, vel quærela ſufficiat, quod citetur Molendinarius ad fideiubendum, & ſe defendendum à tali accuſa, vel quærela, qui ſi non venerit, vel legittimam deffenſionem non fecerit infrà viii. dies poſſit, & debeat per Vicecomitem condemnari ſecundum formam infraſcriptorum Statutorum, & in omnibus quærelis factis contra Molendinarios ſtetur, & credatur ſimplici verbo accuſantis, vel quærelantis, niſi ipſe Molendinarius vellet probare contrarium.

Quod non audiantur quærelæ de Molendinarijs vltra dies XV.

STatuimus, quod quicumque voluerit accuſare, vel quærimoniam facere de Molendinarijs, qui ſe fraudolenter adhibeant circa blada eis data, vel alia ratione occaſione ſui Officij, exponat ſuam quærimoniam infrà quindecim dies, quibus ellapſis, & eo infrà id tempus non comparente nullatenus audiatur.

Quod Molendinarij teneantur macinare omnibus.

ITem, quod Molendinarij teneantur, & debeant ad petitionem habitatorum in Viſcontaria Adriæ macinare omnibus ſibi dare volentibus pœna librarum quinque paru. pro qualibet vice, qua recuſauerint non obſtante, quod fuerint per illum alicuius accuſati ex aliqua cauſa molendinariæ.

Quod Molendinarius non teneat bladum vltra dies VIII.

ITem, quod nullus Molendinarius, qui acceperit bladum ad macinandum teneat illud in Molendino vltra dies octo. Et qui contrafecerit ſoluat ſolidos xx. paruor. & nihilominus bladum reſtituere debeat.

Quod nullus Molendinarius, ſeu Piſtrinarius accipiat, niſi debitum

ITem, quod nullus Molendinarius debeat accipere denarios, ſeu aliquid aliud, pretium pro molatura, vel donum, niſi ſolum modo partem bladum ſecundum modum ſibi conceſſum, & qui contrafecerit ſoluat ſolidos LX. paruor.

Quod nullus Molendinarius, ſeu Piſtrinarius cambiet Bladum, ſeu vendat.

ITem, quod nullus Molendinarius, ſeu Piſtrinarius vendat Bladum, vel cambiet fraudolenter, quod habuerit in ſuo Molendino, ſeu Piſtrino ad macinandum ſecundum illum, quod acceperit in Farinam reſtituat. Et qui contrafecerit ſoluat ſolidos quadraginta paruorum.

Quod nullus Molendinarius, seu Pistrinarius faciat falsitatem.

ITem, quod nullus Molendinarius, vel Pistrinarius faciat aliquam falsitatem in farina ponendo in ea remolas, vel sablonem, seu volaturam, vel blancando farinam, seu saccum, vel vas, in est farina, vel aliquam alicui, propter quod farina deterioretur pęna solidorum centum par.

Quod Molendinarij non accipiant vltra sextum decimum Capum.

ITem, quod nullus Molendinarius accipiat vltra sextum decimum capum de aliquo blado, quod datum ei fuerit ad macinandum, & benè macinare debeat, & qui contrafecerit soluat pro banno libras V. par.

Quod nullus Pistrinarius accipiat vltra decimum starium.

ITem, quod nullus Pistrinarius debeat accipere vltra decimum starium, vel capum pro molatura, & qui contrafecerit soluat pro banno solidos xv. par.

De Terraleis viarum non destruendis, & vijs non vsurpandis.

ITem, quod nulla persona aliquo modo, vel causa possit accipere de terreno terraleorum Tombæ pœna cuilibet contrafacienti solidorum x. paruor. & nihilominus teneatur suis sumptibus conduci facere in dicto loco tantumdem terreni, quantum acceperit, & reaptari facere eo modo, & forma, prout primò stabat infrà octo dies à die, quo acceperit illum pœna solidorum xx. paruor. nec possit aliqua persona vt supra vias publicas, iuxta terraleos prædictos in totum, vel partem sub pœna prædicta. Et quicumque vsurpauerit in præteritum teneatur facere illum, quod per Dominum Vicecomitem, & alios ab eo elligendos de ipsis viis, aut infrà Mensem à die publicationis præsentium Statutorum reducere ipsas vias in pristinum statum sub prædicta pæna ponenda incontinenti ad introitum Massarii Communis, & exigenda incontinenti à contrafaciente, & librarum decem paruor. Domini Vicecomiti de suis salariis si exigi non fecerit condemnationem.

Finis Quinti Tractatus.

TRACTATVS SEXTVS.

De Extraordinarijs Criminibus.

STatuimus, & ordinamus, quod si quis contrafecerit infrascriptis Statutis, & ornamentis facta denunciatione per eum, cuius intersit, citetur reus ad securitatem dandam, & deffensionem faciendam infra octo dies; quo non veniente, vel se legittimè deffendente condemnetur secundum formam infrascriptam.

De pœna euntium de nocte.

SI quis inuentus fuerit post tertium sonum Campanæ sine lumine ire, vel stare per Terram Adriæ, vel tenere ostium Domus apertum soluat solidos xx. paruor.

De pœna portantium arma vetita.

SI quis portauerit ensem, vel cultheliſſam lungam, vel culthelum triuellatum, siue ferritorium, vel dardum, Glauarinam, spitulantiam, aciam longam, vel Ronconum, aut Roncolam, arcum cum sagita, vel panceriam, balotam ferream, aut plombeam, forconum, forchetam ferratam, vel securim pro quolibet dictorum armorum soluat libras V. par.

par.excepta panuria, pro quà si eam solam portat, nihil soluat; sed si portat cum aliquo prædictorum armorum soluat pro ea libras v. & pro quolibet armorum aliorum etiam libras v. pro alijs autem armis vetitis soluat solidos quinquaginta pro quolibet, & vltra prædicta intelligatur arma vetita baculus, & quibus fustus grossior mensura Communis Ferrariæ, & Mazzaferrea, & quodlibet aliud genus armorum, & etiam quodlibet instrumentorum genus, siue rusticorum, siue vrbanorum, dummodo sint ferrea, vel ferrata ad incidendum, vel feriendum apta, excepto cultello de vagina non ferritorio; si quis aùtem de noctæ prædicta arma portauerit soluat pœnam duplicatam, & intelligatur de nocte quantum ad hoc capitulum post vigesimam quartam horam, nec possit aliquis portare arma, nisi expressa licentia Illustrissimi Domini Marchionis.

De pœnà vendentis cum falsa mensura.

ITem si quis vendiderit vinum, oleum, sal, bladum, seu aliquid, quod mensuratur pisces, caseum, carnes piper ceram, seu aliquid, quod venderetur, & ponderetur cum falsa mensura, vel pondere, bilantia, statera, vel marcho; vel aliquam falsitatem mensurando, vel ponderando fuerit, vel minus mensura, vel pondere debitis dederit, vel fuerit aliquam fraudem, pro quolibet capitulo non obseruato soluat solidos xx. & starius, mensura, bilantia, stateria, & marchus frangatur.

Si quis fecerit panem falsum.

SI quis fecerit panem falsum, & si fuerit malè cotus, vel malè leuatus ad vendendum soluat pro quolibet pane decem denarios paruos, pro vno quoque Capitulo, & perdant panem.

De Beccarijs.

ITem, quod nullus Beccarius interficiat aliquam bestiam, nisi eam primo præsentauerit iuratis Adriæ ad hoc deputatis si in Adria occiderit, si verò interficeret in Corbulis eam debeat ostendere iuratis Villæ Corbulæ, & non vendant libram vltra id, quod determinabirur per dictos iuratos singula singulis referendo, & teneatur beccarius interficere, & scoriare bestias palam, & in die, & non vendant carnes de porca pro carnibus de porco, nec de oue, vel montone pro castrone, & carnes mortitias non vendant ad libram, nec possit inflare aliquam bestiam, neque ex pinguedine alicuius bestiæ aptare, & qui contrafecerit soluat pro vnoquoque capitulo solidos xx. par.

Quod nullus impediat plateas, vel vias publicas.

ITem, quod nullus dimitat ligna, vel cannas super plateam sine licentia Dom. Vicecomitis, nisi foret homo, qui deberet facere domum circa plateam. Idem intelligatur de omnibus vijs publicis, quæ essent aliquo modo impeditæ, & qui contrafecerit soluat solidos xx.

De pœna ponentis letamen in vijs publicis.

ITem quicumque posuerit, vel poni fecerit letamen in vijs puplicis teneatur ipsum remouere incontinenti pœna, & banno, solidorum decem paruorum, & hoc in Terra Adriæ tantum.

Quod nullus extendat Corea super Platea.

ITem, quod nullus extendat Corea aliquarum bestiarum super platea, nec super pontes, nec in vijs publicis, nec sub domo iuris Communis, pœna, & banno cuilibet contrafacienti, & pro qualibet vice, & quolibet capitulo huius Statuti solidor. decem par.

De

De Porcis non dimittendis ire ad Plateas.

QVilibet habens porchos teneatur eos in omni tempore tenere clausos, ita quod non vadat per terram scilicet Adriæ, de die, nec de nocte, nec per Vineas de Tomba, nisi tempore congruenti in arbitrio D. Vicecomitis pœna, & banno cuilibet contrafacienti pro quolibet porcho, & qualibet Vice solidor. iiij. par.

Quod nullus faciat laborerium Lini in Terra Adriæ.

ITem, quod non sit aliqua persona terrigena, vel forensis, quæ audeat laborare Linum gramolando, vel batendo, vel aliquid aliud laborerium Lini facere intra terram tam à latere Castri, quam à latere Tombæ pæna solidorum XX. par. pro qualibet Vice.

Quod nullus teneat sedile in Terra Adriæ.

ITem, quod nullus debeat facere, nec tenere aliquod sedile, siue priuatum in terra tam à latere Castri, quam Tombæ, quod veniat in fossatis, siue Canalis aliquo modo pœna librar. quinque par. & nihil hominus teneatur destruere sedile.

Quod nullus impediat capita suorum porticum.

ITem, quod nullus debeat impedire capita suor. porticum, ita quod competenter possit iri, & rediri, nec aliquod impedimentum tenere possit aliquis sub eis, intelligendo, quod quælibet porticus sit expedita, & aperta pedum quinque ad pedem Episcopatus Terrariæ, eo saluo, quod illi, qui habent porticus domorum in capite viarum, vbi aliquis non habeat redire, possit duta capita suorum porticum claudere si voluerit, & nullus debeat impedire vias publicas pœna solidorum XL. par. & nihilhominus desbrigare debeat.

De Cesis Tombæ incidendis.

QVicumque habet Vineam, vel terram à latere Tombè prope vias publicas debeat iniudere cesas, quæ sunt rite eius Vineam, vel terram vsque ad fossatum per totum mensem Maij quolibet anno pœna solidorum decem par.

Quod quilibet habens partem in Curichis faciat segari.

ITem, quod quicumque habens partem in Curichij debeat in sua parte plantare tot plantas, quot opportunæ fuerint, & omni anno segare de subtus duas perticas ad perticam decem pedum, tam si plantæ erunt quam non. Item, quod Vicecomes debeat personaliter ire omni anno in prima hebdomada Iunij, & in prima Septembris, visum si erit ibi segatum, vel non, & facere segari semel in Mense Maij, & semel in Mense Septembris benè, & diligenter, & hoc imperuidimento duorum hominum, quos Vicecomes voluerit mitere prouisum. Et si quis contrafecerit soluat solidos XX. par. & aliquis non debeat ponere ignem in Curichis ab aliquo latere, & contrafacientes soluant pro pœna solidos XX. par. & quilibet possit accusare, & Vicecomes teneatur tempore conuenienti facere comburi ab vtroque latere dicti Curichij, ita quod igni non possit nosere sallicibus dicti Communis, & aliquis non ponat igne in aliqua Valle, qui noceat alicui, & si quis contrafecerit, & ignis damnificaret aliquid soluat pro banno solidos viginti par. & emendet damum patienti.

Quod ciuis dicat forensi, quod deponat Arma.

STatuimus, quod si aliquis forensis venerit ad Terram Adriæ habens arma vetita, & intrauerit domum alicuius in dicta Terra, teneatur ciuis dicere dicto forensi, quod deponat arma, si viderit eum habentem arma, & si cuius non dixerit ei, & ille portabit per terram soluat ciuis solidos X. par. & si forensis portabit arma postquam sibi dictum fuerit quod deponat arma, soluat forensis pro banno id, quod continetur in Statuto de armis vetitis, & si forensis non fuerit hospitatus, & portauerit cultellum à ferriendo soluat pro bano solidos XL par.

Quod mulieres non contendant inuicem.

SI mulieres inuicem contenderent soluat pro banno quælibet earum solidos quinque par. & si poterit cognosci cuius fuerit culpa eius, illa fuerit culpa condemnetur, & alia absoluatur.

De persona mittenda ad custodiam Aquæ.

ITem, quod cui præceptum fuerit ire ad custodiam Padi teneatur ire, vel mittere personam sufficientem maiorem annis xiiij. cum armis, & ordignis, & qui contrafecerit condemnetur pro custodia diurna in solidis xx par. & pro nocturna in solidis xL. par. eo saluo, quod si in posta sibi dessignata ad custodiam periculum ruptæ euenerit, tunc talis, qui contrafecerit puniatur realiter, & personaliter ad arbitrium Illustr. Dom. Marchionis, hoc addito, & intellecto, quod quicumque ad custodiam supradictam personam miserit, quæ non sit sufficiens, vel quæ non iuuerit, vel quæ si iuuerit malè se rexerit circa custodiam sibi assignatam hoc totum redundet, & imputetur ad damnum, & periculum eius, qui miserit, saluo si ille, qui missus fuerit assignatus fuerit Vicecomiti, & per eum receptus, & approbatus fuerit, tunc ille, qui miserit teneatur solummodo ad pœnam solidorum xx. & solidorum xL. vt supra dictum est, si non steterit ad custodiam, vt debuit.

De pœna incidentis aliquem agerem.

ITem, quod nulla persona audeat incidere, seu incidi facere modo aliquo, vel ingenio aliquem aggere Viscontariæ Ciuitatis Adriæ, aut in aliquo aggere dictæ Viscontariæ taiatam aliquam facere, ex qua campanea damnum aliquod patiatur, & qui contrafecerit suspendatur ad forchas.

Quod Molendina distare debeant à Terra.

ITem, quod quolibet Molendinum, quod est, aut quod erit pro tempore aliquo in pado debeat distare à ripa, & seu longè à terra ad minus decem, & octo pedes, pœna, & banno solidorum XL. paruor. & nihilominus teneatur Dominus Molendini remouere, & aptare dictum Molendinum secundum formam debitam pœna prædicta pro quolibet præcepto sibi facto, & non obseruato.

De pœna incidentis aliquem aquarium, seu fossatum.

ITem, si quis inciderit, seu incidi fuerit aliquem acquarium, seu fossatum in alieno fondo, vnde sui vicini aliquod damnum sustinere possint cadat ad pœnam solidorum centum paruor. & emendet damnum patienti, & illud claudere teneatur, nisi illud fuerit factum de Mandato Domini Marchionis, aut Vicecomitis.

De fossatis, & serraleis faciendis per Consortes.

ITem, quod quilibet consors teneatur facere medietatem fossati communis inter se, & consortem, & medietatem serraleæ, quæ est communis pœna librarum quinque par. pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice, qua fuerit contrafactum, & teneatur Dominus Vicecomes ad petionem consortis, & vicini cogere quamlibet personam tenentem, & possidentem terras in Viscontaria Adriæ cauare de nouo de communi terra inter se, & suum consortem conuicinum fossata lata ad minus quatuor pedibus, & tribus manibus cum tribus remondaturis expensis vtriusque partis proutiendo terram suam quilibet ad suum latus præcipiendo eidem, quod incipiat cauare vsque ad octo dies, & ad pauciores dies secundum qualitatem fossati pœna solidorum XL. paruor. quam soluere teneatur qui contrafecerit, & nihilominus cogatur ad cauandum dicta fossata, & cum maiori pœna sibi aufferenda, & simili modo, & forma cogere debeat consortem ad petitionem conuicini, & consortis sui recauare fossata consueta cauari inter se omni iuris solemnitate obmissa; & via, & locus, per quem cauari debeat dicernatur arbitrio Domini Vicecomitis.

Quod nullus poſsit vſurpare vias publicas.

ITem, quod nulla perſona poſſit vſurpare, vel præhendere aliquid de viis publicis in terra Adriæ, & qui contrafecerit ſoluat pro banno ſolidos XL. paruor. & via reſtituat.

De via danda terris non habentibus viam.

ITem, quod ſi aliqua terra non habentibus viam debeat ei dari per terras vicinorum cum minori damno, & incommoditate, quod fieri poſſit, & ſecundum quod decernetur per Dominum Vicecomitem, & ille, cui erit data talis via ſoluere debet illis, qui dederint ſibi viam ſecundum quod declarabitur per Dominum Vicecomitem.

De pœna tenentium beſtias ſuper aggeribus.

ITem, quod tempore Creſſimonium aquarum, & quando aquæ ſunt in culmum nulla perſona audeat mittere, tenere, aut relinquere ſuas beſtias, aut quas habet in cuſtodiam ſuper aliquo aggere Viſcontariæ pœna cuilibet contrafacienti ſolidorum V. paruor. pro qualibet beſtia minuta, & ſolidorum X. pro qualibet beſtia groſſa, & quilibet poſſit eſſe accuſator, & tenebitur ſecretus.

TRACTATVS

Super Damnis Datis.

STatuimus, & ordinamus, quod quilibet volens facere denuncias, vel accuſam de damno ſibi dato in Campanea in ſuis beſtiis, bladis, vineis, arboribus, pratis, paſcuis, & aliis rebus exiſtentibus in Campanea teneatur infra quindecim dies à die damni dati accuſare in libris damnorum datorum in Terra Adriæ, aliàs ellapſo dicto termino non audiatur, nec ei ius redatur, & teneatur in accuſa, ſeu denuncia dicere in qua re damnum eſt datum, & in quo loco, & an cum perſonis, vel cum beſtiis, & cum quibus, & quod beſtiis, & ſimiliter quilibet volens accuſare ſaltuarium poſſit infrà dictum terminum.

De Offitio Saltuarij poſt factas accuſas.

ITem, quod in fine quorumlibet XV. dierum quilibet ſaltuarius teneatur ſe præſentare Domino Vicecomiti, & incontinenti Notarius debeat legere ei vulgariter omnes, & ſingulas accuſas, ſeu denuncias de ipſo ſaltuario factas, prout in eis accuſis ſcriptum, qui ſaltuarius teneatur nominare Notario denunciatores dicti damni, & perſonas, ſeu beſtias, quæ, & quod damnum dederit, aliàs de ſuo proprio teneatur, & ſoluat pro banno ſolidos X. paruor. qui ſaltuarius ſi diceret, non eſſet tunc plenè informatum de damnatis habeat terminum ad ſe informandum vſque ad alios dies octo, & ſi in dicto termino non nominauerit damnatores condemnetur vt ſupra ad emendationem damni.

Quod ſtetur nominationi Saltuarij, niſi probatum fuerit contrarium.

ITem, quod nullus Saltuarius aſtringatur ad dicendum quomodo viderit, aut ſciuerit, aut intellexerit, quod talis per eum accuſatus damnum dederit, ſed ſufficiat eum iuraſſe in principio ſui Offitij benè, & legaliter ſuum Offitium exercere, & poſtea ſtetur ſuæ nominationi, niſi talis per eum pro damnatore nominatus vellet probare contrarium, puta quod non habebat beſtias, de quibus eſt accuſatus, vel quod tempore damni dati ſuæ beſtiæ morabantur in alia Contracta, ſeu loco, itaque non potuiſſe damnum dare prædictum,

vel

vel similia, quo casu audiatur, & citetur Saltuarius, & detur isti probare volenti terminus octo dierum ad probandum, qui si probauerit absoluatur, & Saltuarius ad emendationem damni dati condemnetur, & ad expensas, nisi iusta causa eum excuset ab expensis; si autem non probauerit ipse accusatus condemnetur in duplum eius, ad quod fuisset condemnatus si non asseruisset se velle probare contra Saltuarium. Et hoc vt malignantium audacia compescatur.

Quod accusati, seu denunciati citentur.

ITem, quod factis accusis teneatur Notarius, qui dictam accusam scripserit infrà octo dies facere citari tales damnatores, quod veniant ad se deffendendum à quadam accusa, vel à quibusdam accusis, & sufficiat ita citari, quamuis aliud per præconem non exprimatur, & si fuerint plures, & diuersæ accusæ dicatur numerus accusatorum, & teneatur Notarius scribere in Quaterno relationes talium citationum, scribendo nomen præconis, & diem relationis factæ, sub pœna solidorum XX. paruor. pro qualibet vice Notario, qui in prædicti fuerit negligens.

De producendo contra damnatores citatos.

CItati damnatores intelligantur habere terminum octo dierum à die factæ citationis ad comparendum coram Vicecomitem ad se deffendendum ab accusa contra eos instituta, qui si non comparuerint, possint ellapso termino condemnari; si autem comparuerint infrà terminum, vel postea quandocumque antequam per Dominum Vicecomitem sit facta examinatio talis accusæ, & decernerit eum condemnandum, postea autem non quo negante si denunciatus, vel accusatus fuerit per Saltuarium audiatur solum volens probare contrarium, alias stetur dicto Saltuarij, & circa hoc fiat vt supra dictum est; si autem fuerit accusatus per damnum passum, tunc citetur ad eius instantiam damnum passus ad probandum sibi incumbentia super dicta accusa, qui si iurauerit ad Sancta Dei Euangelia se vidisse talem, vel tales bestias sibi damnum dantes, & se passum tantum damnum stetur iuramento suo, vel alicuius familiaris sui, vel laboratoris taliter iurantis sine aliis testibus vsque ad extimationem librarum trium paruor. ab inde verbo supra, si extimatio vltra dictam quantitatem ascendat extimetur per extimatores iuratos Communis, quorum stetur extimationi, qui extimatores interpellati per damnum passos, vel alios eorum nominibus, & soluatur, vel oblata eis mercede, vel salario consueto teneantur ire videre diligenter, & considerare, ac extimare damnum datum, & reffere Notario, qui scripserit accusam, vel tales accusas de ipso damno factam, vel factas infra terminum octo dierum, à die, quo facta fuerit solutio, vel oblatio sub pœna solidorum XX. paruor. pro quolibet contrafaciente, & pro qualibet vice.

De quærelantibus contra Extimatores, siue damnum passos, siue damnatoribus.

ITem, quod in quantum is, qui damnum passus est, siue is, qui damnum dederit velit dicere Extimatores extimasse plus, vel minus debito, stetur semper relationi Extimatorum, nisi dicat eós extimasse minus duabus partibus veræ extimationis. Quo casu audiatur per Vicecomitem, & citatis Extimatoribus de quorum extimatione quærella exponitur comitatur Extimatoribus Villæ proximiores arbitrio Vicecomitis, qui vadant ad extimandum de nouo dictum damnum expensis quærelam exponentis, & factam per eos extimatione in termino octo dierum à die receptæ solutionis, vel eis effectualiter oblatæ, si constiterit ita esse, vt dixit ille quærelam exponens, condemnentur Extimatores id plus, quod fuerit extimatum per istos alios Extimatores vltra id, quod ipsi extimauerint, & in expensis, omni appellatione remota.

Quod de vno, & eodem damno non fiat nisi vna accusa.

ITem, quod aliqua persona non possit accusare pro vno die in vno, & eodem loco damnum datum sibi cum bascijs, nisi in vna accusa, & si plures accusas dederit vni soli, & vno die, ipso iure intelligantur esse nullæ, & si alijs diebus in eodem loco, & damno accusare voluerit eum damnatorem, teneatur per eius Sacramentum sibi defferrendum accusare; & si non iurauerit super ipsis accusis non procedatur, & Notarius recipiens ipsas accusas cogatur ipso facto ad soluendum solidos duos paruor. pro qualibet accusa recepta vltra formam prædictam.

De damnis occultè datis.

SI damnum alicui datum fuerit occultè in Campanea, & in Villa in suis bladis incisis, vel combustis, vel comascis in cauaionibus, vel in campis, & in lino, & in feno, vel vineis, & salicibus, & lignis, & alijs arboribus fructiferis, & infructiferis, vel etiam exportatis, vel scortatis, ita quod non reperiatur quis dictum damnum dederit, commune illius loci in cuius fundo damnum datum fuerit emendet damnum patienti. Si autem in aliqua bestia damnum datum fuerit occultè in verberando, feriendo, vel occidendo, & non reperiatur malefactor, commune illius loci, in cuius fundo damnum datum est, teneatur solum ad dimidium damni; hoc addito, quod de damno dato in aliquo Curtilli, vel Domo, vel area, vel intra circuitum earum non possit fieri accusatio de damno dato contra Commune, nec contra Saltuarium.

De pœna vulnerantis, vel interficientis bestiam alicuius.

SI quis occiderit aliquam bestiam Bouinam, Cabalinam, vel Asininam alicuius non datam sibi damnum condemnetur in libris X. paruor. Si verò occiderit bestiam Caprinam, Pecorinam, vel Porcinam condemnatur in libris V. Si verò autem anserem, vel gallinam, vel eius generis soluat solidos XX. pro qualibet: si verò alienum Canem mastinum, leporatum, vel bracum soluat solidos XL. si fuerit vel gata soluat solidos XX. paruor. Si verò aliquam dictarum bestiarum non occiderit, sed vulnerauerit cum sanguine si fuerit bestia Bouina, Cabalina, vel Asinina soluat solidos XX. paruor. Si verò alterius generis soluat solidos X. Et quolibet prædictorum casuum teneatur ad emendationem damni, & interesse. Si verò illas percusserit sine sanguine teneatur solum ad interesse, vel denunciantis, siue accusantis, prædicta autem locum habeant nisi per damnum dantem probetur, quod ad casu, non ex proposito vulnerauerit, vel occiderit talem bestiam, quo casu teneatur solum ad extimationem, & interesse, non ad pœnam; si verò aliqua ex dictis bestijs inuenta, vel reperta fuerit dare damnum alicui, siue per eum, cuius principaliter interest, siue eius nuncium, vel famulum, vel fauorem, siue per laboratorem, siue aliquis de familijs prædictorum de die, vel de nocte siquidem fuerit per ipsos, aut aliquem ipsorum interfecta, vel vulnerata quandocumque non teneatur ad aliquam pœnam in communi, sed condemnetur simpliciter ad extimationem damni accusantis, vel denunciantis. Et quolibet prædictorum casuum fiat extimatio bestiæ, aut deterriorationis bestiæ per extimatores communis, quorum extimationi stetur, vt supra dictum est.

De Cane consueto dare damnum.

SI quis tenuerit Canem, qui per duas vices dederit damnum in bestijs, vel momorderit homines, vel squarzauerit vestes, & amplius dederit damnum in bestijs, vel momorderit hominem, vel squarzauerit pannos, teneatur Dominus Canis ad emendationem damni. Si quis autem insegnauerit Canem teneatur ad damnum secundum formam Statuti.

De pœna facientium transitus per alienas terras.

ITem, si quis transitum fecerit per aliam terram cum curru, vel versurio sine licentia Domini cuius erit terra, si blada fuerint in dicta terra condemetur in solidos XX. par.

& si

& si terra fuerit sine blado condamnetur tantum in X. solidis paruor. nisi legitimam deffensionem habuerit; & prædicta intelligantur omni tempore, & credatur Sacramento accusantis, seu denunciantis sine alia probatione si fuerit homo bonæ famæ, & hoc pro quolibet, & qualibet vice.

De pœna dantium damnum cum persona, vel bestijs.

SI quis dederit damnum in alienis vineis, vel terris vineatis, vel brolijs, vel hortis, clausuris, vel casalibus sine bestijs, soluat de die solidos X. paruor. & de nocte duplum. Si verò cum bestiis damnum dederit si bestiæ fuerint cum custodia solidos XX. paruor. & si sine custodia in solidos XL. paruor. si fuerit de die. Si verò de nocte duplum, & quælibet dictarum bestiarum condamnetur si fuerit animal grossum, scilicet Bouinum, Cabalinum, vel Asininum in solidis tribus paruor. Si verò animal minutum in solido vno pro quolibet. Si verò dederit damnum in Campanea extra clausuris sine bestiis condemnetur si de die in solidis X. paruor. & si de nocte duplum. Si verò cum bestiis condemnetur vt supra dictum est. Et in quolibet prædictorum casuum accusatus teneatur emendare damnum patienti modo, & forma in præsentibus Statutis descripta.

De non pascendo in Pratis vltra Kalendas Aprilis.

ITem, quod nullus possit pascere bestias in pratis vltra Kalendas Aprilis. Et qui tenuerit bestias vltra dictum tempus in pratis possit accusari, & condemnari secundum formam Statutorum.

De pœna facientis Vadonem in terra aliena.

SI quis aperuerit clausuram alienam, vel terram alicuius clausam faciendo quomodocumque Vadonem, si quidem vt ipsam dictam terram intret, soluat solidos X. paru. Si verò vt bestiæ intrent, vel intrare possint soluat solidos viginti paruor.

De pœna incidentis, vel destruentis arborem, vel vitem.

SI quis sine bestiis inciderit, fregerit, vel combusserit, vel alio modo destruxerit arborem alicuius, ita quod moriatur, si quidem fuerit arbor fructifera soluat libras tres, si verò non fructifera soluat solidos viginti. Si verò aliter scorsauerit, vel destruxerit, ita quod non moriatur soluat pro arbore fructifera solidos triginta paruor. pro arbore verò non fructifera solidos X. paruor. Si verò eius bestiæ hoc fecerint seruetur Statutum de pœna dantis damnum cum persona, vel bestiis in terris alienis. Et quolibet prædictorum casuum teneatur ad emendationem damni, quod declaramus esse in vite, vel planta taliter destructa, ita quod moriatur si fuerit vnius anni solidos tres paruor. Si duorum annorum soluat solidos quinque paruor. Si trium annorum solidos vii. Si quatuor annorum solidos viiii. ab inde supra probatur per Extimatores Communis, dummodo minus non extimetur, quam solidi X. Si autem non moriatur tunc dimidia extimationis supra taxatæ detur pro emendatione damni.

Quod omnes condemnati pro Maleficio, vel damno dato intelligantur Condemnati ad restituendum damnum, & expensas.

QVod omnes condemnati pro maleficio, vel damno dato semper intelligantur condemnati, ad reficiendum, & emendandum damnum datum passo, & ad omnes expensas etiam si in sententia non fuerit expræssum, dummodo non fuerint specialiter absoluti.

De remissione accusarum, & denunciationem.

ITem, quod qualibet, qui fecerit, vel fieri fecerit accusam, vel denunciam de damno dato possit ipsam remittere quandocumque antequam sit facta examinatio per Dominum Vice-

comitem, & antequam fecerit per Notarium scribi eum condemnandum, & sufficiat, quod dicat, vel scribat Notario, quod eum remittat.

Quod omnes soluentes Collectas possint pasculare.

ITem, quod qualibet qui habitauerit cum Massaritiis in Viscontaria Adriæ, & fecerit fationes possit impunè pasculare cum suis bestiis vbicumque in dicta Viscontaria non faciendo damnum in bladis; nec in aliquibus rebus, nisi quod possit pasculare tantum, & si fecerit damnum condemnatur secundum formam Statutorum, & exceptis, quod pasculare non possit in vineis, broliis, & hortis.

Quod aliquis non emat victualia coadunata.

ITem, si quis apportauerit aliqua victualia in Ciuitate Adriæ, tam Vinum, quàm bladum exceptis Piscibus non debeat vendere coadunata alicui vsque ad duos dies post quam eam apportauerit in Terra Adriæ, vt quilibet possit habere particulam suam. Nec aliquis debeat emere illa adunata pœna cuilibet contrafacienti librarum V. paruor. tam vt emptori, quàm venditori.

Quod aliquis non vendat res cariores quam posuerit ad vendendum.

ITem, quod quicumque posuerit ad vendendum bladum, vel vinum, aut alias res non debeat vendere eas maiori prætio, quam vendere inceperit quousque fuerit vendita res ipsa, quæ posita fuerit ad vendendum, pœna contrafacienti librarum trium paruor. facere tamen teneatur volens vendere denunciationem Domino Vicecomiti de quantitate rerum prædictarum, quas vendere voluerit per Sacramentum.

Quilibet Liuellarius teneatur soluere pensionem Domino suo.

QVicumque Ciuis, aut habitatores Ciuitatis Adriæ, vel eius districtus tenens aliquam rem ad affictum, liuellum, vel pensionem, & non soluerit, prout tenetur, affictum, pensionem, vel liuellum soluat Domino suo duplum dicti affictus, liuelli, seu pensionis, & pensionarius, affictuarius, seu liuellarius propterea non cadat à iure suo dictæ rei.

Quod Ciuis non debeat fide iubere in aliquo pro forensi.

ALiquis Ciuis non debeat fide iubere, nec facere securitatem pro aliquo forensi in Ciuitate Adriæ, nec in alio loco Inst.ª fideiusionis omninò non valeant contra Ciue Adriænses pœna librarum quinquaginta paruor. & hoc Statutum minimè annihilari debeat.

Quod quilibet Liuellarius, seu Affictuarius teneatur facere duo Instrumenta.

QVi tenuerit aliquid de publicariis Communis, vel aliquid ad liuellum, siue affictum ab aliqua persona, facere fieri teneatur duo Instrumenta expensis conducentis, videlicet vnum pro locatore, & aliud pro se ipso conductore.

De rixantibus, vel habentibus verba tediosa cum Clericis.

SI aliquis rixam fecerit cum aliquo Præsbitero, vel verba iniuriosa cum eo habuerit condemnetur secundum formam præsentium Statutorum.

Finis Septimi Tractatus.

TRA-

TRACTATVS OCTAVVS

Super Offitijs Argerum, & Viarum, & Aquæductum.

Quod Vicecomes cogat Cauarzellanum Corbulæ ad faciendum suum Officium.

STatuimus, & ordinamus, quod Cauarzellanus Corbulæ teneatur, & possit exercere suum officium circa refectiones, & reparationes argerum, scussorium, & viarum, & pontium, & aliorum necessariorum, prout sibi impositum fuerit per Vicecomitem pœna Cauarzellano, si contrafecerit pro qualibet vice solidorum quinquaginta paruorum de suo habere, & librarum vi. paruor. de habere Communis Villæ Corbulæ.

Quod Cauarzelanus teneatur ire ad aggeres.

ITem, quod Cauarzellanus prædictus quando aggeres dantur ad faciendum, vel ad reparandum tempore v3. cressimonij aquarum teneatur ire, & stare ad minus tribus diebus in hebdomada die, noctuque si necesse fuerit ad dictos aggeres, vt auxilio opportuno eis prouideatur ob dicta cressimonia aquarum.

Quod Cauarzellanus Corbulæ teneatur solicitare, quod fiant ageres.

ITem, quod facta assignatione partium aggerum teneatur, & debeat Cauarzellanus solicitare, quod aggeres reparentur, & fiant secundum ordinem, & mensuram datam, & assignatam, & Vicecomes teneatur grauare negligentes per captionem pignorum, vt aggeres faciant pro parte sibi assignata.

De pœna non facientium partem suorum aggerum.

ITem, quod omnes, & singulæ personæ, quibus erunt partes aggerum datæ, & assignatæ teneantur partes eis assignatas facere ad mensuram ordinatam, vsque ad terminum ei assignatum per Vicecomitem, & qui non fecerint integrè cadant ad pœnam solidorum xx. paruor. pro qualibet vice, qua non adimpleuerit prædicta, & vltra non compellantur ad ipsas faciendum, & teneatur Cauarzellanus reuidere omnes partes aggerum non factas, & negligentes dare in scriptis Vicecomiti toties, & quandocumque ab ipso Domino Vicecomite requiretur pœna soluendi dictam pœnam de suo proprio habere.

De nolentibus iurare præcepta Vicecomitis.

STatuimus, quod si Vicecomes præceperit, & seu præcipi fecerint alicui pro facto Communis, quod iuret præcepta Communis, & noluerit iurare condemnetur pro qualibet vice in solidis x. paruor.

De expensis Statutorum.

ITem, quod Commune Adriæ teneatur soluere expensas, quas statuarij fecerint pro tertia parte, & Commune Corbulæ pro duabus partibus in faciendo Statutum, & in commestione, & potu etiam Notario, qui ad faciendum dicta Statuta se exercuit.

Quod Consilium non fiat in diebus festiuis.

ITem non debeant fieri condemnationis consilium, vel arengum ante missam in diebus Dominicis, nec principalium festorum.

De Cera Communis accipienda.

ACcipiantur in Commune duodecim libræ ceræ, & si aliquis voluerit accipere de dicta cera massarius teneatur ei muttare causa defuncti, & non alia de causa accipiendo bonum pignus ab eo de illa restituendo infra xv. dies post quam acceperit.

Quod detur ad introytum ædificantibus domum in Terra Adriæ.

SI quis voluerit edificare domum de nouo in terra Adriæ super aliquo casamento vacuo, vbi non sit aliqua domus magna, vel parua, quibus habitator Adriæ debeat dare adiutorium edificanti domum decem denariorum paru. pro dicta domo construenda, & D. Vicecomes teneatur ad hoc quemlibet compellere.

Quod stetur terminationi factæ per iuratos Communis.

QVidquid confinatum, & dicernitum fuerit per iuratos massarios, vel per alios bonos viros missos per Vicecomitem de voluntate partium firmum, & ratum perpetuo perseueret, & terminos positos per eos aliquis non transgrediat pœna contrafacienti librarum quinque paruorum, termini per eos positi produrent firmiter, & Vicecomes debeat cogere vtramque partem ad mittendum homines, qui debeant ponere terminos, & neutra pars vadat ad litem, nec ad locum defferentiæ vsque quo termini positi fuerint pœna solidorum xx. paruorum pro quolibet contrafaciente, nec aliquis se ad determinationem dictorum iuratorum se appellare pòssit. Idem intelligimus de Communi ad specialem personam, & de speciali persona ad Commune teneaturque Vicecomes similiter per dictos iuratos tempore quæstionis facere figi in confinibus campi Sancti Laurentij palos magnos pro terminis.

Quod nemo faciat domo pro porcille in Terra Adriæ.

ALiquis non debeat facere in Terra Adriæ porcile, nisi tam magnum, & condecens, vt poni sub eo stare posſint, & non maius arbitrio iuratorum ab igne, & qui contrafecerit soluat pro bano solidos xx. paruorum, & qui haberet porcile factum contra tenorem præsentis Statuti incontinenti illud debeat destruere sub eadem pœna.

De bestijs forensibus.

ORdinamus, quod aliqua persona forensis non debeat mittere suas bestias ad pascendum in fundo Adriæ, vel districtu; & si inuenti fuerit per saltuarium, vel saltuarios, aut personas aliquas soluat pro banno ille, cuius fuerit bestiæ duplum pœnæ pro qualibet bestia contentæ, & descriptæ in præsentibus Statutis de damnis datis cum bestijs.

Quod nemo faciat præsam super illo Communis.

NVlla persona debeat facere aliquam præsam super illo Communis in terra, nec in aqua pœna cuilibet contrafacienti solidorum x paru. & si destruerit aliquid de dicto Communi, debeat incontinenti id reducere in pristinum statum.

De fouea Communis Tombæ.

VOlumus, quod fouea Communis Tombæ, quæ est ratio Ecclesiam Sancti Stephani debeat teneri per homines super eam posſidentes mundatam, & curatam, nec aliquid in dicta fouea proiciatur ab aliquo, nec per eam aliquis vadat ad vineas. Et quilibet hoc facere negligens, & contrafaciens soluat pro banno solidos xx. paru.

Quod magistri galafaxi non imponat naues, & lignamina super Terralios Communis.

NOlumus, quod aliquis Galafaxius debeat laborare nouas naues, nec veteres, nec ponere, nec tenere lignamen in terra Adriæ à latere Castri, vel Tombæ, pœna solidorum

rum xx. paruorum pro quolibet contrafaciente, & nihilhominus teneatur adimplere contenta in præsenti Statuto.

Quod Vicecomes, & Procuratores Communis possint affictare bona dicti Communis.

PRætera volumus, quod Vicecomes, & Massarius, ac Sindicus, & Consules Communis Adriæ vice, & nomine dicti Communis possint concedere, & locare ad affictum, & terminum, & etiam in perpetuum, & ad Liuellum cuilibet Ciui Adriæ casamenta dicti Communis immobilia pro prætio illo, quo se cum conducentibus conuenire poterunt. Qui conductores conducentes taliter in perpetuum posśint super his bonis, & casamentis edificare, & quodlibet edificium facere, & illa pro suis habere, tenere, vendere, & alienare sine aliqua contradictione dicti Communis. Saluo iure ipsius Communis sulummodo in pensione. Et si aliquis Ciuis, & habitator Adriæ in præsenti aliquid posśidet de illo Communis, dummodo non sit via publica, quæ habeat nocere alicui eundo, vel veniendo se cum prædictis concordare posśit secundum modum prædictum, & de prædictis fiant duo Instrumenta expensis conducentis vnum v3. pro commune, & aliud pro ipso conductore.

De Cereo emendo pro Communi.

ORdinamus, quod Vicecomes teneatur, & debeat facere emi pro Communi à lattere Castri, & Tombæ vnum cereum ponderis librarum quatuor pro baptismate per dies xv. antequam fiat dictum Baptisma expensis Communis.

Quod nullus dimittat arellas in vijs publicis.

ITem, quod illi qui faciunt arellas in Castro, quam in Tomba non dimittant ipsas arellas in vijs publicis vltra spacium septem dierum, ita quod omni die Sabbati accipiantur de dittio vijs pœna cuilibet contrafacienti solidorum quinque paruorum, & denariorum decem pro qualibet arella.

De non arrengando, vt prouideatur offitialibus.

VOlumus, quod nullo prouideri debeat in aliquo officialibus Communis, nisi tantum, quantum præsentia Statuta continent, & si quis contra arrengauerit, vel proposuerit, soluat pro bano libras quinquaginta paruorum, & nihilhominus Statutum sit firmum.

De non discargando vinum causa vendendi, nisi facta denunciatione datiarijs.

STatuimus, quod nulla persona debeat discaricare vinum in domo causa vendendi ad minutam, nisi prius collectoribus datij tabernarum Adriæ. Et si quis contrafecerit soluat pro banno libras quinque paruorum applicandas pro dimidia Communi, & pro alia dimidia datiarij.

De Tabernarijs districtus Adriæ.

ITem, quod quilibet tabernarius, qui tenebit tabernam extra terram Adriæ, in districtu tamen ipsius Terræ teneatur, & debeat dare, & vendere vinum hominibus de Adria pro illo prætio, quo vendetur tunc in Adria pœna librarum quinque paruorum pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice, qua fuerit contrafactum, ita tamen quod forensibus vendere posśit quantum sibi libuerit.

De renunciatione offitij.

ITem, quod nullus debeat renunciare Officium sibi datum per Commune pœna cuilibet renuncianti librarum vigintiquinque paruorum.

Quis se Appellare voluerit.

NVllus Ciuis Ciuitatis Adriæ, vel forensis posſit ſe appellare de aliqua condemnatione præcepto, vel ſententia Dom. Vicecomitis, niſi ad propriam perſonam Illuſtriſsimi D.N.D. Marchionis Eſtenſis, &c. Quæ appellatio fieri debeat infra terminum decem dierum à die condemnationis, præcepti, vel Sententiæ latæ, & apparere debeat dicta appellatio manu Publici Notarij ſcripta infra dictum terminum à die appellationis ad proſequendum dictam appellationem, & poſsit quilibet ſe appellare vt ſupra, nec teneatur ad refficiendum expenſas principalis cauſæ, niſi poſt latam ſententiam cauſæ appellationis ſi ſuccubuerit.

Quod Victualia non poſſit extrahi.

ALiqua perſona, vel forenſis non audeat, nec præſumat aliquo modo extrahere, vel extrahi facere de Ciuitate Adriæ, vel eius diſtrictu extra ipſum diſtrictum aliquam quantitatem bladi cuiuſcumque manerici pœna ſolidorum xx. paruor. pro quolibet ſtario, & perdendi dictum bladum, vel ſoluendi Communi prætium ipſius. Idem intelligimus de Sale pœna prædicta pro quolibet ſtario Salis; Idem de vino pœna prædicta pro quolibet maſtello. Idem ſeruetur de omnibus rebus, quæ menſurantur pœna prædicta pro quolibet ſtario, vel maſtello dictarum rerum, & ſoluendi ipſarum prætium vt ſupra. Si verò extraxerit, vel extrahi fecerit aliquis, aliquid aliud mercantionis, vel graſſæ cuiuſcumque conditionis vt ſupra ſoluat pro banno, ſi non fuerit res, quæ ponderetur, & à vigintiquinque libris infra valoris libras decem paruor. & ſoluendi prætium Communi ipſarum rerum. Si verò fuerit à vigintiquinque libris ſupra, ſoluat pro banno Communi libras xxv. paruor. & ſoluendi vt ſupra. Si verò fuerit res, quæ ponderetur ſoluat pro banno Communi pro qualibet libra ponderis dictarum rerum ſolidum vnum paru. & ſoluendi prætium vt ſupra. Et in quolibet dictorum caſuum contrafacientes, vel taliter extrahentes amittant naues, currus, ſeu beſtias, in quibus, cum quibus, & ſuper quibus taliter extraherent, vel ipſarum nauium, beſtiarum, & illorum currium prætium, quod perueniat in Commune, & hæc omnia intelligantur, niſi extrahant, vel extraxerint cum licentia D. Vicecomitis, & Conſulum, intelligendo, quod dictus Dominus Vicecomes, non poſſit dare licentiam Conſulibus, & eſt conuerſo.

De furto, vel latrocinio.

SI quis furatus fuerit aliquas res mobiles, quæ valuerint vſque ad libras v. paruor. condemnetur in libris x. paru. & ad emendationem damni patienti. Si verò valuerit libras x. paru. condemnetur in libris xx. par. & ad emendationem vt ſupra, & ſi ſoluere non poterit condemnationem, bannietur de Ciuitate Adriæ, & eius diſtrictus, & ſi aliquo tempore venerit in fortiam Vicecomitis ipſum fuſtigari faciat per dictam Ciuitatem à latere Caſtri, & Tombæ, & per Villam Corbulæ, & ſi res furatæ valuerint vſque ad xv. libras, condemnetur in libras xxv. paru. & ad emendationem vt ſupra; & ſi ſoluere non poterit dictam condemnationem bannietur vt ſupra; & ſi vllo tempore venerit in fortiam dicti Communis capiatur, & fuſtigetur vt ſupra, & boletur in ambabus goltis cum vno ferro calido. Et ſi res furatæ valuerint vſque ad xxv. libras condemnetur in quinquaginta libras paru. & ſi fortè ſoluere non poterit condemnationem bannietur vt ſupra dictum eſt, & ſi aliquo tempore venerit in fortiam dicti Communis fuſtigetur vt ſupra dictum eſt, & extrahatur ſibi occulus dexter de capite, & ſi res in vna vice furatæ valuerint à xxv. libris ſupra, & præſens fuerit condemnetur ad furchas, & laqueo ſuſpendatur, ita quod moriatur. Si verò abſens fuerit bannietur, & ſi vllo tempore in fortiam dicti Communis peruenerit conducatur ad furcas locum iuſtitiæ, & ibi laqueo ſuſpendatur, ita, & taliter quod penitus moriatur. Idem intelligimus tam de Maſculo, quam de Fœmina, ſaluo quod volumus, quod ſi mulier in caſu quo

quo mortem meruerit continentiam vltimi supraſcriptorum Statutorum comburetur quod penitus moriatur.

Finis Octauus Tractatus.

TRACTATVS NONVS.

De Vallibus, & ad Valles pertinentes.

De furto Gradelarum, & pertinentium ad ſandallos.

STatuimus, quod ſi aliquis abſtulerit ſolarolum, ſeſſam, furchulam, vel gradellam, aut remum aliquem ſoluat pro banno ſolidos tres par. & emendet damnum, & ſi tenuerit aliquam dictarum rerum vltra dies tres ſoluat pro banno ſolidos xx. par. & ſi fuerit forenſis, & non poterit ſoluere dictum bannum fuſtigetur. Idem intelligatur de nauibus, & alijs rebus pertinentibus ad naues.

De Scudarellis.

QVilibet Ciuis, & habitator Adriæ poſſit piſcari ad ſcudarellum in quibuſcumque Vallibus hominum Adriæ poſitis in pertinentijs Adriæ à feſto Sancti Martini vſque ad feſtum Epiphaniæ abſque contradictione alicuius perſonæ excepto Campo Sancti Lau. entij, & Campo Axinilis, nemo tamen debeat piſcari de ſupra laborerijs factis ad capiendum piſces in locis ſecretis, ſcilicet in locis, & Vallibus, quæ habent introytum, & non exitum ab vtroque capite, & hoc ſit in præuedimento Vicecomitis, & bonorum virorum, ſi erunt loca, & Vales ſecreta, vel non.

De forenſibus piſcantibus in Vallibus Adriæ.

STatuimus, & ordinamus, quod Vicecomes Adriæ cridari faciat in terra Adriæ, quod aliquis forenſis non debeat piſcari in Vallibus Adriæ, & eius diſtrictus ſine licentia præfacti Domini Vicecomitis, & illorum cuius erunt Valles, pœna, & banno librarum quinque par. & comburendi retia. Et ſi aliquis ciuis, & habitator Adriæ viderit aliquem forenſem piſcari in aliqua dictarum Vallium teneatur, & debeat cridare, ita quod ſui Conſortes poſſint audire eum, & quilibet audiens teneatur ire ad eum, & poſſint auffere retia ſi voluerint, & ſi non poſſent accipere debeat incontinenti ſi poterunt, vel infra duos dies poſtquam inuenerint eum denuntiare, Vicecomiti, & incontinenti cum fuerit denuntiatum Vicecomiti, teneat. Vicecomes ipſum denunciare, & ſeu condemnare ſecundum formã Statuti, & facere ſcribi iudici, ſub cuius iuriſdictione fuerit ipſe condemnatus, quod eum compellat ad ſoluendum dictam condemnationem, quam ſi non ſoluerit bannietur de Ciuitate Adriæ, & ſi ab inde vltra inuentus fuerit in Terra Adriæ capiatur, & detinetur in carceres Communis donec dictam condemnationem ſoluerit.

De Caminis, & Cordulis.

STatuimus, quod quicumque voluerit ire cum camino, vel cum ligno, ſeu cordula ad capiendum aues in Vales ſuas poſſit ire à prima Iouis Maij, vſque ad Kalendas Auguſti, & à feſto Sancti Martini vſque ad feſtum purificationis Sanctæ Mariæ, & non vltra pœna contrafacienti ſolidorum XL. par. & nullus debeat ire cum camino, vel cordula etiam in temporibus conceſſis in alienas Valles ad capiendum aues ſine licentia illorum quorum fuerint Valles pœna, & banno ſolidorum XL. par. pro quolibet contrafaciente. Et auas, quas capient debeant poni per capientes ſuper vnam perticam ad Lodiam Communis Adriæ, & de ipſis vendere cuicumque Ciui Adriæ emere volenti, et quilibet poſſit eſſe legitimus accuſator, et habeat tertiam partem banni ſi accuſam affirmauerit per Sacramentum.

De eodem.

ITem, quod quilibet, qui ceperit perfonas, vel alias aues quocumque modo, fiue arte, vel ingenio in diftrictu Adriæ debeat de ipfis porfanis, & auibus vendere ad minutum, &ab inde cuilibet Adriæ volenti emere pro fuo vfu proprio prætio competenti, & fecundum curfum Communem Terræ, pœna contrafacienti, aut illas occultanti folidorum X. paruor.

Quod quilibet confinet terras, & vales inuicem concorditer.

ITem, quod omnes. qui habent confinare, feu deffinire Vallem, vel terram inter eos concorditer deffiniant, & confinent, & fi non fecerint hoc fit in præuedimento Vicecomitis, & hominum bonorum Adriæ.

De volentibus fibi facere decerni aliquid per Iuratos.

STatuimus, quod fi aliquis Ciuis Adriæ voluerit fibi facere decerni aliquam vallem, vel aliquid aliud per Iuratos maffarios, aut per alios homines, debeant eos conducere ad locum differentiæ, & reducere, & facere eis expenfas fi effent forenfes, qui velent fibi aliquid decerni vltra prædicta debeant eis dare pro fuo falario, & labore folidos decem par. pro quolibet Iuratorum.

Quod habentes valles vnus iuxta alterum, non laborent eas nifi fuerint concorditer inuicem.

ORdinamus, quod quicumque habet valles vnus iuxta alium non debeat laborare in doffis, nec in confinibus de nouo, nifi fuerint in concordia inuicem pœna librarum quinque paruor. & deftruatur opus, & fi quis lamentauerit fe coram Vicecomite, quod laboratum fuerit fuper fua tenuta in vallibus, incontinenti dictus Vicecomes debeat facere decerni valles, de quibus fieret quæftio infrà tertiam diem pœna Vicecomiti hoc facere negligenti librarum quinque paruor. & præcipiat, quod poni non debeant retia in vallibus, de quibus fuerit quæftio pœna prædicta.

Quod aliquis non incidat pallos, nec perticas de alienis Gradarijs.

STatuimus, quod aliquis non debeat incidere pallos, perticas, ftillos, nec arellas canarum de alienis nafarijs, pifcarijs, fiue gradarijs; & fi quis contrafecerit foluat pro banno communi folidos XX. paruor. & emendet damnum patienti; & quilibet fciens teneatur denuntiare contra facientem Vicecomiti pœna prædicta: hoc faluo, quod fi effet in via nauigali poffit quilibet cauare arellas illas, & pallos, & ipfas res ibidem dimittere, & non eas abftulere, & poftea reaptare dictas perticas, & pallos, & fi fuerit forenfis non permitatur abire donec aptauerit dictas arellas, & perticas, ac pallos.

De facientibus arellas.

STatuimus, quod fi quis fecerit forum cum aliquo de arellis, dictas arellas debeat dare emptori ad terminum inter eos affignatum, & alias arellas non faciat alteri, nec accicipiat facere aliquod opus alterius, nec debeat exire de dicta terra Adriæ donec fecerit arellas, quos promiferit emptori, nifi foret pro facto communis, & fi quis contrafecerit foluat pro quolibet dictorum capitulorum folidos X. paruor. & emptor teneatur foluere venditori expletis arellis prædictis pœna prædicta. Idem intelligimus de burgatiis, & aliis rebus, & laboreriis, & quilibet debeat facere arellas magnas ficut iurati dabunt ei paffum, pœna contrafacienti folidorum quinque paruor. & iurati teneantur qualibet hebdomada tentare fimul de dictis arellis pœna folidorum quinque paruor. pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice.

De

Quod aliquis non det arellas forensibus.

ITem, quod aliquis ciuis, vel habitator Ciuitatis Adriæ non debeat vendere, vel dare arellas, nec burgatios alicui forensi; pœna contrafacienti solidorum XX. paruor. & quilibet possit esse legittimus accusator.

De incidentibus Cannas.

ITem, quod aliquis forensis non debeat incidere cannas, vel pauerias in vallibus districtus Adriæ pœna solidorum XL. paruor. & quilibet possit esse legittimus accusator non derogando Offitio Iuratorum, prout supra continetur.

De Vallibus proprijs.

ITem, quod quilibet Ciuis Adriæ possit piscari, & piscare facere in vallibus suis, cum quibuscumque artibus omni tempore, exceptis ad brandonem, & ad lumen camini, & amedellis, siue spadernis ad Anguilas neschatis cum ranellis, vel bursolis, vel barbastilis, cum quibus artibus, vel aliqua ipsarum non possit, pœna contrafacienti librarum trium paruor. & quilibet possit accusare per Sacramentum contrafacientes, & credatur dictæ accusæ, & si aliquis miserit aliquem piscatum in vallibus siue cum scudarolis, spadernis, lignolis, amonis, & bertoelis, vel aliis artibus, & deganea, primo debeat denunciare Vicecomiti, & aliquis non debeat piscari in vallibus alienis, etiam habita parabola à Domino Vallis, nisi primo se præsentauerit Vicecomiti.

De piscantibus sine licentia in alienis vallibus.

SI quis piscatus fuerit in alienis vallibus, ut supra sine licentia Domini Vallis cum bertoellis, satimis, & retibus amanibus, vel cum deganea, soluat pro banno Communi libras quinque paruor. & quilibet possit esse legittimus accusator cum Sacramento, & retia prædicta vendantur, & ipsarum prætium perueniat in Commune.

De eodem.

ITem si quis piscatus fuerit in alienis vallibus vt supra sine licentia cum scudarolo, spadernis, vel amis condemnetur pro qualibet vice in solidis iiii. paruor. & artes vendantur, & ipsarum prætium perueniat in Communi, & quilibet possit esse legittimus accusator cum Sacramento. Item, quod illi, qui piscantur in Campo Sancti Laurentii pro Commune non debeant mittere aliquem forensem ad piscandum in eo, nisi prius denunciauerit Domino Vicecomiti, pœna XX. solidorum paruor. nec aliquis debeat dimittere valles, in quibus debeat piscari causa piscandi in aliis vallibus vsque ad tempus per eum promissum pœna librarum trium paruor. & Dominus Vallis debeat seruare pacta illi, cui promiserit.

Quod nullus faciat paraturum, quod noceat Consorti.

ALiquis non faciat paraturum, vel feraleum de arellis, neque cum pallis de subtus nasariis, vel gradariis alicuius, quod noceat dicto nasario, vel gradariæ, nisi fuerit longe à nasario, vel gradaria passibus XXV. pœna librarum quinque paruor. & destruatur paraturum, siue feralium, & illud sit in preuedimento Vicecomitis, & bonorum virorum Adriæ ad videndum si feraturum, vel feraleum factum fuerit per malitiam, vel non.

De Bottonzellis.

SI quis ceperit aliquam bottonzellam viuam minorem de bottone à festo Paschatis vsque ad festum Sancti Michaelis in vallibus Adriæ incontinenti eam proiciat in aquam pœna solidorum quinque paruor. & aliquis non debeat emere, vel vendere de dictis bottonzellis pœna prædicta, & quilibet esse possit legittimus accusator.

De diebus, quibus non licet ire ad Valles.

ALiquis non vadat ad valles in diebus Veneris Sancti, Paschæ Ressurectionis, Ascensionis, Pentecostes, festa Apostolorum Petri, & Pauli, Omnium Sanctorum, in Natiuitate Domini Nostri Iesu Christi, Epiphania, in aliquo Festo Beatæ Mariæ Virginis, Sancti Ioannis de Iunio, pœna solidorum quinque paruor. pro quolibet contrafaciente.

Quod nullus mittat retiolas in Vallibus.

NVlla persona terrigina, vel forensis audeat, vel præsumat mittere retiolas in aliquibus vallibus districtus Adriæ pœna solidorum centum paruor. pro quolibet contrafaciente, & quilibet possit esse legittimus accusator cum Sacramento.

De Piscantibus ad tertium.

QVilibet, qui piscatur ad tertium, vel ad medietatem cum aliqua persona debeat dare tertium de piscibus Dominis, quorum sunt Valles, seu medietatem prout fuerit pactum inter eos, & quilibet ipsorum qui piscauerit ad tertium, vel ad medietatem in vallibus alienis si essent socii debeant venire ad nauem illius sporchani, cui teneantur dare pisces, vt videant si portarent aliquid in nauibus suis, ne possint defraudare Dominum, vel sporchanum pœna solidorum decem paruor.

Quod nullus debeat dare pisces minoribus sazo, vel mensura.

PIsces viui chauedagni, scilicet tenchæ, quæ dantur ad salamen tempore salaminis non debeant dari minores sazo Communis, & quod aliquis sporchanus non debeat maiorem sazum tenere prædicto Communis sazo, nec ad alium sazum pisces accipere pœna contrafacienti cuilibet dictorum capitulorum, librarum trium paruor. Item iurati Iustitiæ teneantur dare mercatoribus Adriæ illam mensuram, ad pisces salandos omni tempore, quo salantur sazum, & mensuram, quæ est posita in columnis Domus Communis Castris, & quilibet teneatur habere illam mensuram tam piscator, quam sporchanus, & si quis aliam mensuram dederit, vel dare contrafecerit soluat pro banno solidos XX. paruor. & quilibet possit esse legittimus accusator cum Sacramento.

De promittentibus dare tertium de Piscibus.

QVilibet Piscator ad tertium cum aliquo, & promiserit dare Domino pisces pro salamine, teneatur dare Domino omnes pisces, quos ceperit tam chauadagnos, quàm botones, & etiam menuxamen pro eo prætio, quo secum poterit conuenire, & non debeat tenere omni mane, nisi vnam tencham pro vsu suo, & si tenuerit vltra debeat dare tertium Dominum, & non debeat partire aliquos pisces cum Domino. Sed vendere Domino omnes pisces tam chauedagnos, quàm botones, & menuzamen, & omnes alios pisces pœna solidorum XX. paruor. & aliquis sporchanus non emat pisces alicuius piscatoris promissos alteri sporchano pœna librarum quinque paruor. sporchano emptori, & similiter piscatori venditori, & piscatores qui piscantur ad medium cum aliis, & dederint pisces ad salamen, vel alicui sporchano non debeat tenere in die vltra duas tenchas, scilicet nec maioribus, nec minoribus, pœna solidorum quinque paruor.

De Piscibus forensibus.

ALiqua persona tam forensis, quàm habitator Adriæ, vel eius districtus aliquo modo non audeat, nec præsumat conducere aliquam quantitatem anguilarum, buratelorum, nec piscium generis alicuius ad Ciuitatem Adriæ, scilicet qui fuerunt capti extra districtum Adriæ causa salandi in Adria pœna librarum decem paruorum, & amittendi dictos pisces, qui perueniant in communi; & quilibet possit esse legittimus accusator, & tenebitur

bitur

bitur in credentia; & hoc locum habeat in præſentibus, præteritis, & futuris, & pœna Domino Vicecomiti ſi fuerit negligens in exigendo condemnationem librarum ſex paruor. de ſuo Salario.

Quod nullus faciat pradariam nocentem Conſorti.

NVllus piſcator debeat facere aliquam gradariam, nec ſtangatum cauſa dandi, vel faciendi damnum ſuo conſorti propè laborerium ſuum à paſſibus X. pœna librarum quinque paruor. & nihilominus deſtruatur laborerium. Item nullus debeat incidere cannas, paucrias propè aliquam gradariam à XL. paſſibus pœna librarum quinque par.

De capientibus Ludrias.

VOlumus, quod omnes capientes Ludrias in vallibus diſtrictus Adriæ habeant de qualibet Ludria, quam ceperint vnum groſſum Venetum ab illo Piſcatore; in cuius valle habuerit dictam Ludriam, affirmando per Sacramentum vbi dictam Ludriam ceperit.

De Nauigantibus per menatas.

ITem, quod aliqua perſona non audeat, nec præſumat ire cum ſandallis, aut alijs Nauibus oneratis aliquibus rebus per tranſitum per canalia, nec per menatas fundi, vel diſtrictus Adriæ, niſi per canalia vſitata nauigalia pœna ſolidorum X. paruor. pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice, qua contrafactum fuerit, & ad emendationem damni patienti, ſi ſic peragendo damnum aliquod alicui intulerit.

De Mulieribus facientibus Retia.

ITem, quod aliqua Mulier habitatrix Ciuitatis Adriæ, & Tombæ non audeat, neque præſumat facere cogolos, vel aliquod genus retium pro piſcando, & capiendo piſces in dicta terra alicui forenſi, volente Ciue Ciuitatis Adriæ, & petente à dicta Muliere dictos cogolos ſibi fieri, & dicta Mulier debeat dare dicto Ciui pro prætio conſueto per dictam Terram, & dimitat Forenſem pro Ciue, & dictus Ciuis teneatur ſoluere dicta retia dicto prætio conſueto pro ſua mercede pœna ſolidorum XX. paruor. pro quolibet contrafaciente.

Finis Nonus Tractatus.

TRACTATVS DECIMVS.

Aliquorum Extraordinariorum Occurentium per factis Terræ, & Communis.

Si quis conduxerit aliquem forenſem in Terra Adriæ debeat præſentare Domino Vicecomiti.

ORdinamus, quod ſi aliquis Ciuis, & habitator Ciuitatis Adriæ, & etiam comittatinus conduxerit aliquem forenſem ad dictam Ciuitatem ipſum præſentare debeat Dom. Vicecomiti, antequam intret domum alicuius tam tabernari, quam alicuius perſonæ de dicta Ciuitate Adriæ, & ſi quis contrafecerit ſoluat pro banno Communis libras quinque par. & quilibet poſſit eſſe legittimus accuſator, & habeat tertiam partem banni, & nullus tabernarius, vel hoſpes audeat hoſpitari aliquem forenſem, nec recipere in domo ſua, niſi cum prius præſentauerit Domino Vicecomiti pœna ſolidorum XL. paruorum.

De

De Dote restituenda.

QVia multi pro restitutione dotium hactenus paupertati sunt, Statuimus, & Ordinamus, quod si vxor alicuius hominis Ciuis Ciuitatis Adriæ, siue dicta mulier sit, vel fuerit de ipsa Ciuitate, vel eius districtu, siue de alio quocumque loco matrimonio inter eos existente decesserit, communibus liberis non extantibus eius, siue pars eius non teneatur restituere hæredibus talis mulieris, siue patri dictæ mulieris sic defunctæ nisi dimidiam dotis, etiam si repetitio dotis integræ iure partis, vel stipulationis diceretur pertinere ad quemquam, cuius dimidiæ restitutio fiat incontinenti, si dos fuerit constituta in bonis immobilibus; si verò fuerit constituta in rebus mobilibus, vel se mouentibus fiat infra annum à tempore mortis mulieris computandum; aliam verò dimidiam lucretur maritus talis mulieris; extantibus verò liberis communibus ipsius mulieris, & mariti viuentis ipsius mulieris, nec extraneo alicui, etiam stipulantis, vel paciscentis exactio dotis competat, sed liberè dos talis mulieris permaneat penes liberos Communes ipsius mulieris, & mariti viuentis, & ad eos integrè, & liberè pertineat; exclusis etiam penitus liberis dictæ mulieris ex alio marito præmortuo natis, si quos haberet: saluo tamen semper voto, & arbitrio mulieris prædictæ disponentis in sua vltima voluntate de dimidia dotis prædictæ, quæ ad eius hæredes pertinet, & in casu, quo non extarent liberi communes ipsius, & mariti viuentis: donatio autem propter nuptias nullatenus exigatur, vbi verò contingerit virum præmori seruentur iura communia, cui Statuto renunciare non possit, & si renunciatio fiat, ipsa renunciatio non teneatur ipso iure; hoc addito, quod impensa funeris mulieris prædictæ fiat, & cognoscatur per maritum pro ea parte, qua lucri faciet dotis prædictæ ex forma præsentis Statuti: & habeat locum præsens Statutum, siue dos fuerit in Terra Adriæ, vel eius districtu constituta, siue alibi vbicumque, & habeant locum prædicta, & quolibet prædictorum in præsentibus, præteritis, & futuris nondum terminatis per sententiam.

De volentibus vendere, vel alienare aliquam rem immobilem teneantur denunciare Consorti.

QVilibet Ciuis, vel forensis volens vendere, vel Affictare, vel Liuellare, vel aliquo modo alienare aliquas suas Possessiones immobiles positas in Terra Adriæ, vel eius districtu, fundo, & Viscontaria; primo teneatur, & debeat denunciare cuilibet attinentium suorum ex linea descendentium, vel ascendentium, seu colateralium, vel transuersalium, & ipsis nolentibus Communi Adriæ, & consorti eius existenti Ciui Ciuitatis prædictæ; & in ea, vel eius districtu sustinenti onera realia, & personalia, & facta dicta denunciatione commune consors, cui denunciatum fuerit volens ipsam rem teneatur, & debeat accipere, ac eas habere possit infra octo dies à die denunciationis, emere, vel ad affictum accipere, seu liuellum, vel illo iure, & titulo, de quo, & pro ut tractabitur pro tanto prætio, quanto volens sic vendere, vel liuellare, vel affictare, vel aliter alienare ab aliis de dicta possessione habere possit, re vera, Pœna, & banno cuilibet contrafacienti, vel aliter vendenti, vel affictanti, seu liuellanti, seu alio quocumque modo alienanti, librarum XXV. paruor. & contractus de ipsis rebus, & possessionibus factus ipso iure non valeat, & nihilominus ipsas teneatur dare Consorti, vt supra, seu communi si voluerit ipsum commune eas habere: ellapso autem dicto termino octo dierum, si commune prædictum, seu consors, cui fuerit denunciatum ipsas habere recusauerit, tunc liceat, & licitum volenti vendere, affictare, liuellare, vel aliter alienare de ipsis rebus facere prout de eius voluntate processerit, sine contradictione aliqua dicti communis, vel alicuius consortis; ita tamen, quod quilibet dictorum consortium ipsarum rerum requirantur ad hoc, & ei sit vt supra denuncietur, sed nihilominus sufficiat, vt vni ex dictis consortibus vendatur, vel alio modo tradatur sine aliorum contradictione.

Quod

Quod nulla res immobilis possit tranferri in forensibus.

NVlla res immobilis sita in Ciuitate Adriæ, vel eius districtu possit, vel debeat modo aliquo, vel colore quæsito vendi, vel alienari, vel transferri in totum, vel in partem, directè, vel per indirectum aliquo titulo inter viuos, vel in vltima voluntate, etiam per hæredis institutionem, vel legatum, vel alia vltima voluntate, in aliquem forensem, vel aliam personam, vel vniuersitatem non subiectam, & non sustinentem statuta, prouisiones, & ordinamenta Communis Adriæ, & non sustinenti onera realia, & personalia in dicta Ciuitate Adriæ, vel eius districtu, nisi talis alienatio, venditio, vel translatio facta fuerit de licentia Generalis Consilij dictæ Ciuitatis Adriæ; Quod si secus factum fuerit, ipsa res immobilis in totum, vel in partem sic vendita, alienata, seu translata contra, seu præter formam prædictam, sit, & esse intelligatur ipso iure; & facto confiscata, & applicata in Adriæ, & ipsius Dominium, & possessio sit, & esse intelligatur ipso iure translatum, & translata in dictum Commune Adriæ auctoritate præsentis prouisionis, & pœna, quæ interuenerit in tali alienatione ipso iure sic, & esse intelligatur applicata, & confiscata dicto Communi, & talis contractus, conuentio, hæredis institutio, substitutio, legatum, & dispositio non valeat ipso iure, & nullius sit efficaciæ, vel valoris, & ex eis, vel aliquo eorum agi non possit nec ius redi, vel fieri per aliquem Vicecomitem alicui ius petenti contra tenorem præsentis Statuti. Prædicta autem locum habeant in præteritis, præsentibus, & futuris alijs Statutis, & ordinamentis dicti Communis, dictantibus, quod nulla res immobilis alienetur forensibus &c: in sui roboris firmitate permanentibus.

De Saltuario Tombæ.

ORdinamus, quod ellectores, qui elligent alios officiales debeant eligere à latere Tombæ de hominibus in dicta Tomba habitantibus vnum saltuarium, qui bis in die debeat per Vineas Tombæ ire pro videndo, quod aliqua persona non det damnum in Vineis, nec aliquibus rebus immobilibus positis in Tomba prædicta, & si viderit aliquibus damnum dantem, illa, vel sequenti die denunciare debeat Vicecomiti illum, & habeat pro suo salario quolibet milliario vineæ quando vindemiatur vnam sechiam Vinium cum graspis: et Vicecomes teneatur cogere quemlibet ad soluendum saltuario dictum vinum habentes vid. vineas in dicta Tomba: et saltuarius prædictus iurare debeat suum Officium in manibus dicti Domini Vicecomitis.

De Tabernarijs.

QVilibet tabernarius, qui vendiderit vinum ad tabernam teneatur, & debeat soluere pro datio ipsius vini Communi Adriæ scilicet pro quolibet Mastello vini forensis scilicet Maluatico, Romaniæ, Ribolæ, sclaui, Marchiani, & similium solidos decem par. & pro quolibet Mastello vini nostratis, & de plano solidos sex, & denarios octo paru. soluendo subito datium prædictum antequam dictum vinum fuerit positum ad manum dicto Communi non derrogando Statuto, quod loquitur, quod nullus debeat discaricare vinum causa vendendi ad minutum absque licentia Datiarij Communis.

Quod Vicecomes obseruet Statuta, & consuetudines.

VOlumus, quod Vicecomes non audeat, vel præsumat modo aliquo aliquid innouare in Ciuitate, vel districtu Adriæ, sed debeat regere, & corrigere homines suæ iurisditionis in omnibus, & per omnia secundum continentiam præsentium Statutorum, & in partibus, in quibus defficerent Statuta secundum consuetudinem, quibus defficientibus obseruetur per eum ius Commune.

Si quis non adimpleuerit præcepta Domini Vicecomitis.

STatuimus, quod si quis non adimpleuerit præcepta Vicecomitis, vel illa neglecerit, quomodocumque, & qualitercumque facta sint, statim accipiatur à tali idoneum pi-

gnus de libris quinque paruorum, quo acceptoſubito condemnetur in illa quantitate, quodpignus teneatur condemnatus exigere infra octo dies à die accepti pignoris, quo termino ellapſo, &pignore non exacto, teneatur Vicecomes illud pignus vendi, vel ſub pignorari facere pro ſoluendo dictam condemnationem, & ſi Vicecomes fuerit negligens ſoluat de ſuo ſalario libras quinque paruorum pro banno, & pignus illud, ſiue dicta condemnatio computetur in ſuo ſalario.

De damnificantibus Vineas Tombæ.

ORdinamus; quod aliquis tam maſculus, quam fœmina non audeat, neque preſumat ire per vineas Tombæ ad colligendum herbas pro porcis abſque licentia illorum quorum ſunt vineæ, pœna ſolidorum x. par. cuilibet contrafacienti, & quilibet poſſit eſſe legitimus accuſator, & credatur eius accuſa.

Quod quilibet debeat facere fationes.

STatuimus, & ordinamus, quod quilibet teneatur ſoluere collectas ſecundum ſuum extimum, & nulla mulier poſſit pettere ſolutionem dotium ſuarum pro condemnationibus, nec collectis viri, nec ei per Vicecomitem fiatius de dicta Dote occaſionibus prædictis pœna Vicecomiti librarum v. par.

De Tabernarijs.

ITem, quod aliquis tabernarius tam Caſtri, quam Tombæ non audeat, neque preſumat accipere, neque tenere aliquem tam Ciuem, quam forenſem in domo ſua poſt quam fuerit pulſatum tertium ſonum Campanæ ſine licentia Domini Vicecomitis. Et ſi aliquis contrafecerit ſoluat pro banno ſolidos decem par. pro qualibet vice, & pro quolibet, quem ſic tenuerit, & quilibet poſſit eſſe legitimus accuſator, & habeat tertiam partem banni, nec aliquis debeat ſtare in taberna vt ſupra ſine licentia dicti Dom. Vicecomiti, pœna ſolidorum quinque par.

De Mercantionibus non extrahendis.

ITem, quod quilibet terrigena, vel forenſis, Ciuis, vel non habitator, vel non Ciuitatis Adriæ, vel eius diſtrictus poſſit liberè ſine aliquo datio, vèl gabella ad dictam Ciuitatem, & eius diſtrictus conducere, & conduci facere, per dictam Ciuitatem, & eius diſtrictum tranſire, dumodo vadat verſus Ferrariam, ſiue pertinentijs Illuſtriſs. D. N. D. Marchionis Eſtenſis &c omnes, & ſingulas mercantiones cuiuſcumque generis, & conditionis, ſcilicet vinum cuiuſcumque manerici, prout vinum vermillium, ſeu noſtrate, maluaticum, Romaniæ, Marchianum, Ribolæ, & cuiuslibet generis vinum. Item frumentum, & quolibet genus bladi; item Sal cuiuſcumque diſtrictus ſit extractus; item quolibet genus mercantionum, & in dicta Ciuitate, & eius diſtrictu ſtare, & dimorare per ſpatium trium dierum, dummodo non ſit prohibitum à præfacto D. N. D. Marchione Eſtenſe &c. & ſi dictas mercantiones in dicta Ciuitate, ſeu eius diſtrictu diſcaricauerint in continenti debeant illi tales conductores dicta die, in qua diſcaricauerint dare in ſcriptis D. Vicecomiti Adriæ, & Conſulibus Communis; item ſi ellapſis dictis tribus diebus conductores non extraxerint mercantiones diſcaricatam, vel non de dicta Ciuitate Adriæ, & eius diſtrictu, tunc non poſſint eas extrahere ſine expræſſa licentia D. Vicecomitis, & Conſulum, & Vicecomes non poſſit dare licentiam ſine Conſulibus, & Conſules ſine licentia Vicecomitis, pœna ſolidorum xx. paru. pro quolibet ſtario, ſiue ſit ſal, ſiue bladum, & pro quolibet Maſtello vini, & perdendi bladum, ſal, & vinum, & iſtud ſtatutum habeat locum in præſentibus, & futuris
non derrogando alijs Statutis continentibus ſimilia capitula prout ſupra eſt expreſſum.

De Notarijs Adrienſibus.

ITem, quod aliquis Notarius non poſſit nec debeat apportare libros Offitij extra Domum Communis iuris Adriæ modo aliquo, ratione, vel cauſa, nec exercere offitium No

tariatus

tariatus quantum eſt reſpectu damnorum datorum, aut maleficiorum alio loco, quam in dicta domo Communis iuris Adriæ, ſine licentia Domini Vicecomitis pœna librarum quinque paruor. pro qualibet vice, qua contrafactum fuerit.

Quod quilibet debeat facere factiones.

ITem, quod quolibet perſona habitans in Viſcontaria Adriæ debeat facere factiones, & angarias, prout ſibi impoſitum fuerit per Dominum Vicecomitem, exceptis perſonis illis, quæ erunt, & ponentur ex continentia præſentium Statutorum ad terraticum, & exceptis minoribus xiiij. annis, & ſenioribus anni lxx. & exceptis tribus Conſulibus, Sindico, & Maſario Communis Adriæ, & exceptis ægrotantibus, & patientibus aliquam infirmitatem in perſona ſua, & hoc intelligatur de factionibus, & angarijs perſonalibus: addentes tamen, quod quælibet perſona, exceptis illis, quæ per priuilegium exemptæ ſunt, & exceptis ſoluentibus terraticum, debeant ſoluere collectas pro perſona, & ſuis bonis ſecundum ſuum Extimum.

Quomodo fieri debent vexendæ.

ITem volumus, & declaramus, quod quandocumque contingerit, quod præcipiatur alicui de Terra Adriæ, debitæ facere vexendas, & ille talis, cui præceptum fuerit foret abſens à dicta Terra, nec rediturus eſſet domum, vel ad terram ea die, qua facere debuerit dictam vexendam, tunc accipiatur per Vicecomitem tot de bonis illius talis abſentis, quæ aſcendant ad quantitatem ſolidorum X. paruor. & tradantur ſolidos X. per conſules vni, qui dictam vexendam fecerit loco illius abſentis: nec ipſi bona ſua tradantur, ſeu reſtituantur prædicta, niſi prius dictos ſolidos X. perſoluerit.

De ſolutione Notariorum.

STatuimus, & Ordinamus, quod Notarij acta ſcribentes ad Banchum iuris Communis Adriæ pro eorum ſcripturis, & actis habeant infraſcriptas ſolutiones, & per modum infraſcriptum, & ſi vltra quid accipiet aliqua perſona, niſi prout infrà taxatur, & declaratum fuerit ſubitò cogatur per Dominum Vicecomitem ad reſtitutionem illius, quod indebito abſtulerit; & vltra hoc tantundem vltra formam debitam infraſcriptam abſtulerit, videlicet.

PRimo pro qualibet citatione in actis ſcribenda denarios		6. paruor.
Pro qualibet petitione, ſeu guarentantia in actis ſcribenda	ſol.	1. paruor.
De negatione, & termino partibus aſſignato	ſol.	1. paruor.
De confeſſione facta in iudicio, & termino dato ad ſoluendum	ſol.	1. paruor.
De præcepto in publicam formam releuato	ſol.	2. paruor.
De tenuta accepta ſcribenda in actis	ſol.	1. paruor.
De qualibet framiſſa ſcribenda in actis	ſol.	1. paruor.
De quolibet incanto ſcribendo in actis	ſol.	1. paruor.
De qualibet crida ſcribenda in actis	ſol.	1. paruor.
De extimaria uſque ad decem libras	ſol.	1. paruor.
De extimaria vſque ad quinquaginta libras	ſol.	2. paruor.
De extimaria vſque ad centum, & vltra quantumcumque ſit	ſol.	4. paruor.
De ſententia lata vſque ad XXV. libras	ſol	10. paruor.
De ſententia lata vſque ad quinquaginta libras	ſol.	12. paruor.
De ſententia lata vſque ad centum, & vltra quantumcumque ſit	ſol	15. paruor.
De examinatione, & depoſitione, ſeu teſtificatione vnius teſtis	ſol.	2. paruor.
De cancelatione condemnationum hominum ſuſtinentium onera	ſol.	2. paruor.
De cancelatione condemnationum forenſium non ſuſtinentium onera	ſol.	2. paruor.
De qualibet accuſa facienda de damno dato per Ciues, & habitatores Adriæ, & ſimiliter de remiſſione ipſarum	nihil	
De accuſa facienda per forenſes vt ſupra	ſol.	1. paruor.

De remiſſa per ipſos forenſes fienda —— ſol. 2. paruor.
De extimaria damni dati —— ſol. 1. paruor.
De accuſa maleficij facta per Ciues portantes onera in Adria de toto proceſſu ipſius accuſæ cum teſtibus vſque ad Sententiam —— ſol. 1. paruor. incluſiuè
De remiſſa dictæ accuſæ —— nihil
De accuſatione maleficiorum forenſium non portantium onera cum toto proceſſu, vſque ad ſententiam excluſiuè —— ſol. 8. paruor.
De remiſſa dictæ accuſationis —— ſol. 2. paruor.
De cancellatione condemnationum Ciuium portantium onera occaſione maleficiorum, videlicet habitantium in Adria —— nihil
De accuſatione damni dati de comitationis Adriæ —— ſol. 1. paruor.
De cancellatione condemnationum ipſorum de damnis datis —— ſol. 2. paruor.
De cancellatione condemnationum maleficiorum forenſium —— ſol. 2. paruor.
De qualibet cancellatione condemnationum corporalium facta de hominibus Adriæ habitantibus —— ſol. 10. paruor.
De cancellatione condemnationum corporalium facta de comitatinis Adriæ ſol. 20. paruor.
De cancellatione condemnationum hominum forenſium —— ſol. 40. paruor.
De quibuſcumque ſcripturis quomodolibet ſpectantibus ad Commune, niſi eſſent Inſtrumenta publica —— nihil.

De declaratione Monetarum.

NE vnquam in futurum diſcordia aliqua oriatur inter aliquos occaſione Monetarum deſcriptarum in præſentibus Statutis, declarantes Statuimus, quod vbicumque in præſentibus Statutis ſit mentio aliqua de aliqua quantitate pecuniæ, dicta quantitas intelligatur per hunc modum, videlicet, quod quilibet xii. denarij paruor. conſtituant vnum ſolidum paruor. & duo ſolidi paruor. conſtituant vnum Marcheſanum Ferrarienſem.

TENOR LITTERARVM

Illuſtriſſimi Domini Noſtri

D. LEONELLI MARCHIONIS, &c.

Tranſmiſſarum Aniballi de Nouellis tunc Vicecomiti Ciuitatis Adriæ.

Quod homines Ciuitatis Adriæ negant ſe ſuper facto Molendinariorum vt dicat Statutum Ferrarienſe.

CAriſſime noſter habiamo inteſo quanto ce auiſi delle querelle hai dalli homini di quella noſtra Viſcontaria delli Munari, li quali non li rendono il douere delli Formenti, li macinano, & come li non è ordine, che dechiari quanto li ſiano tenuti di rendergli per ſacco: & per riſpoſta te dicemo, che non li eſſendo tal ordine, che diſpona ſopra ciò, tù pigli quello, che in ſimilibus ſi oſſerua in queſta noſtra Cittade, e che li tù lo metti in pratica, perche lo hauemo per giuſto, & honeſto.

A tergo Vicecomiti noſtro Adriæ:

Tenor Statuti Ciuitatis Ferrariæ.

STatuimus, & Ordinamus, quod quilibet Molendinarius Ciuitatis Ferrariæ, & diſtrictus, teneatur, & debeat macinare quodlibet bladum cuilibet petenti, & bladum, quod receperit teneatur reſtituere infra ſex dies in bona farina dando, & reſtituendo qua-

quatuor ſtaria, & dimidium bonæ farinæ de quatuor ſtarijs frumenti ad minus, & ſic pro rata abinde infra, & teneatur accipere frumentum ab omnibus perſonis de domibus eorum, & deffere molendinum, & poſtea reportare farinam ad domum prædictorum, & ſi aliquis molendinarius contrafecerit condemnetur pro qualibet vice in quadraginta ſolidis Ferrarienſibus, & nihilominus teneatur ſibi macinare, & ſi Dominus, vel aliquis de ſua familia dixerit bladum datum molendinario, & damnum ſibi eſſe datum per molendinarium, credatur Sacramento cuiuslibet eorum qui iurare voluerit de blado dato, & damno, & quantitate prædictorum, & poſtea detineatur molendinarius, donec de dicto damno ſatisfactum Domino fuerit.

Quod non fiant Notarij Adrienſes, niſi fuerint approbati per Collegium Notariorum Ferrarienſium.

Leonellus Marchio Eſtenſis.

CArissime noſter hauemo inteſo, & viſto la relatione, che tù ci hai fatta circa la ſupplicatione di Pietro di Guarnieri concernente la perſona di Antonio ſuo fiolo, &c. Et reſpondemote, che noi deliberemo, che lui non poſſi eſercitare Officio di Notariato al banco li, poiche lui non è di più ſufficientia, come tù ſcriui, fin à tanto, che non diuenti idoneo, e ſufficiente ad eſercitarla; & volemo etiam Dio, che cadauno di quella Terra, lo quale da quì innanti vorà farſi Nodaro per eſercitarſi al detto bancho non debbia, ne poſſa eſſer accetado à quello, ſe prima non ſarà eſaminado, & approuado per ſufficiente per li Officiali del Collegio di Nodari, quì come ſel diuentaſſe Nodaro Ferrareſe, & volemo, che tù faci regiſtrare queſte lettere, & ſij con quelli noſtri homini, & prouedi, che queſto ordine ſi oſſerui da quì innanti.

Ferrariæ xxiii. Auguſti 1448.

A *tergo Vicecomiti noſtro Adriæ.*

Quod non fiant Ciues, niſi habitauerint in Adria per annos duodecim exercendo opera Ciuilia.

Leonellus Marchio Eſtenſis.

CAriſſime noſter Mandemote la quì inſerta ſupplicatione di Bortolamio Balzano, & de Fioli Paſqualino, & Pelegrino Sarturi habitadori delle Corbole noſtre de ſotto, & volemo, che tu faci tanto quanto ce hanno ſupplicato, & dimandato, non oſtante alcuna coſa, che faceſſe allo incontro per alcun modo, ma che per lo auuenire in quella noſtra Terra niſſuno poſſi eſſer creato Cittadino, ſe non ſia ſtato: & habitado li per xii. Anni continui eſercitando arte Ciuile, ſecondo che è lo ordinamento in la Cittade noſtra di Ferrara; & far regiſtrare queſte li doue meglio ti appare, perche vogliamo, che ſia oſſeruato per Statuto, & per lege.

Comparì alli 20. Settembre 1448.

A *tergo Vicecomiti noſtro Adriæ.*

Supplicatio Petriphilippi Pezzolati.

ILluſtriſſime, & Excellentiſſime Princeps, & Domine, Domine mi Singulariſſime, poſt humilliſſimas recomandationes, &c. humilmente ſupplica el fideliſſimo ſeruitor voſtro Pierfillippo Pezzolato di Adria Nodaro della Illuſtriſſima Signoria Voſtra, conciò ſia, che à queſti di paſſati vn Fidelliſſimo ſeruitor della Signoria Voſtra nominando Piero di Amadi Nodaro, & habitatore di Adria e morto, per tanto humilmente prega, e ſupplica à la detta Signoria Voſtra, che quella ſi degni voler ſcriuer al Viſconte di

detta Città di Adria, che in quel luogo era ditto V.S. debbia accetare ditto ſuplicante. Et queſto dimanda di gratia ſpeciale.

Veſter fideliſſimus ſeruitor Petrus Phylippus Notarius ſcripſit die 19. Aprilis 1449.

Dominus non impedit ſe de illo Notarium, ſed dimittit onus eligendorum Notariorum Illi Communi Adriæ.

Quod nullus vadat per vias tranſuerſalem.

EL ſi fà crida, e commandamento per parte de lo Illuſtriſſimo Prencipe, & Eccellentiſſimo Signor noſtro Miſſier Lionello per la Dio gratia Marcheſe da Eſte &c. Chel non ſia alcuna perſona terriera, ò foraſtiera ſia de che condition eſſer ſi voglia, la qual eſſi, ne poſſi andare, ne mandar fora del territorio de lo Illuſtriſſ. S. N. con boletta, ò ſenza con la perſona, ne con altra robba per via alcuna tranſuerſale, ſaluo che per le vie vecchie, & longamente vſate, le quale capitano, & paſſano per li paſſi, onde ſono deputati li Officiali à vedere le bolette ſi di robba, come di perſone per lo prefatto Illuſtriſſimo Sig. N. & maſſime non oſſino andar, ne mandar, ne vſar la via delle pioppe, & goreſne, le quale paſſa per lo deſtretto di Adria alla pena di liure xxv. de Marcheſane per ciaſcedun, che contrafarà, e per ciaſcheduna volta, della quale pena la metà ſia applicada alla Camara del prefatto Illuſtriſſimo S. N. e l'altra mitade à lo accuſador, che lo accuſarà, & ciaſcheduno poſſi eſſer legitimo accuſador, & al qual ſia data piena fede prouando per vn Teſtimonio fede degno con lor Sagramento aduenga, che ſiano ſingulari, & non conteſti, e ſel fuſſe etiam Dio alcuna perſona, la quale con altri inſieme paſſaſſe per le ditte vie prohibite gli ſia licito accuſare li compagni, & hauerà la parte della condanaſon, e ſarà aſſolto da quello li tocaſſe à pagar à lui, & ſarà tignudo ſecreto ſe à lui parerà. Et ſe alcuno contrafarà, & non hauerà dinari da pagar ditta condanaſon, incontinente gli ſia dato tratti cinque di corda, & ſtarà meſi ſei in pregion, & mai di queſto non ſperi d'hauer gratia.

Littera pro Armis non portandis.

Leonellus Marchio Eſtenſis &c.

Dilectiſſime noſter, quamuis dio il ſia ordine, & il Statuto lì, che diſpone ſopra il portar delle arme, & la pena de ſoldi cento de pizoli, che fanno ſoldi 50. de Maſcheſane il non è peſo che quelli noſtri homini della Viſcontaria non ditta cagione non le portano; & perche forſi queſto aduiene per la pena, che è poca; però per ditta caggione deliberemo de prouare ſe li potiamo redure, & refrenarli, che non le portino, vnde vogliamo, che tù facci fare vna crida da noſtra parte, che niſſuna perſona non le porti alla pena di liure ſette, e meza de Marcheſane, la qual pena ſe deuida in queſto modo, el terzo vada al Commun de lì, e queſto terzo ſi comparta come ditta il Statuto de li, & le altre doi parte vadano per vn terzo à lo accuſadore, & le altre doi parte alla camara noſtra: & trà la pena mazore, & trà che lo accuſadore ne hauerà più parte, & che la camara noſtra ne hauerà la ſua parte forſi che ſi abſteniranno, & queſta noſtra fala regiſtrare lì che la vaglia etiamdio per li toi ſucceſſori: Miliari nono octobris 1446.

A tergo Vicecomiti noſtro Adriæ.

Litteræ

Littera prohibitoria, quod nullus vadat de nocte, & maxime cum Armis.

Leonellus Marchio Estensis &c.

CAriſſime noſter. Per raffrenare li catiui la oltra, & maxime quelli che vanno di notte, & cum le arme, perche la pena gli era molto piccola, & lieue, ſiamo contenti, & volemo, che tù fazi notto alla Brigate, che qualonque ſarà trouato di notte ſenza lume, & ſenza arme ſarà condennato in liure otto de Marcheſane, & cum le arme, & cum lume, e ſenza lume, e cum le arme in liure quindeſe, le qual pene ſaranno applicate alla camara noſtra in tutto, & così fa, che tù obſerui queſto noſtro ordine de punire quelli contrafaranno à queſte cride, ne altro non diremo, perche ſentiamo per altri noſtri ordini eſſerli proueduto opportunamente. Belreguardo xi. Martij 1447.

A tergo Vicecomiti noſtro Adriæ.

Littera pro donegatis, & operibus præſtandis Capitaneo Corbullarum pro Litteris traſmittendis.

Leonellus Marchio Eſtenſis.

CAriſſime noſter. Acciò che tù, & li tuoi ſucceſſori ſapiano come ſe hanno da gouernare in le fraditte coſe te dicemo, che noi hauemo poſto ordine, & così vogliamo chel ſi obſerui per lo aduenire, che ſe il Capitanio noſtro delle Corbole di ſotto biſognarà opere, ò donegati per il fatto della pallata le ſe debbano dimandare al Caſtaldo noſtro delle Corbole, el qual tiene li breui, & cauerà fora quelli biſognarà de dì in dì, tempo in tempo, in modo che la grauezza anderà equale, e niſſuno hauerà cagion di dolerſi: così dicemo à te Viſconte, che quando el ti fuſſe neceſſario hauere opere, ò donegati de Corbola per coſe occorente debbi dimandar ſimiliter à dicto Caſtaldo, che gli prouederà opportunamente. Appreſſo ti auuiſemo, che quando el ſi accadeſſe mandar littere à Ferrara, ò altroue doue noi foſſimo per coſe importante, noſtra intentione è, che le littere fuſſe per li fatti di quelli di Adri vi li mandi per li homini de li inſino à Ferrara, ò altroue doue biſognaſſe, perche intendemo, che così ſi fazzi per tutti li altri Communi, che ciaſcun porti la grauezza ſua, & non quella di compagni, & che più non ſi mandi per le poſte, come ſe haueua comenzato à coſtumare, che per il vero non era coſa ben fatta. Et queſta noſtra ad perpetuam rei memoriam ſucceſſorum falla regiſtrare.

Ferrara die xiij Iunij 1449:

A tergo Vicecomiti noſtro Adriæ.

Proclama ne aliquis intret ſuper illo Communis.

DE commandamento per parte de lo Illuſtro S.N. Miſier Lionello per la Dio gratia Marcheſe da Eſte &c. chel non ſia alcuna perſona terriera, ne foraſtiara de che condition eſſer ſi voglia, ò ſia, che ardiſchi, ò preſumi à intrare per modo alcuno, ne poco, ne aſſai ſuſo quello del Commun ſenza eſpreſſa licenza di S.S. àla pena de Ducati cento d'oro che vadano alla camara di S.S. & ſel ſarà alcuna perſona, che contrafazzi ſubito ſenza alcuna induſia ſaranno condannati in ditta pena come è ditto di ſopra, & mandata alla camara della prefatta ſua Sign. &c.

Litteræ pro laborerijs rusticalibus.

Borsius Dux Mutinæ, ac Regij Marchio Estensis Rodigijque Comes.

Dilectissimi nostri: noi vi confessiamo liberamente, che voi hauete ragione sopra la differentia, che pende frà voi, & li huomini de le Corbole per li lauorieri rusticali. Mà perche voi non conferiti à questi Arteri il lauoriero à che vi hà chiesto li nostri fattori de le possessioni riceuerà grande interesso, però vi confortiamo, & astrenziamo caramente, che per questa volta ve deliberati di conferirli, & farli fare per la ratta vostra, & si ne farete grandissima complacentia, auisandoue, che mai per lo auenire non vi angarizaremo à simil lauoriero, mà per questa volta vi richiedemo in cortesia.

Copparij xxx. Augusti 1454.

A *Tergo Communi, & hominibus Ciuitatis* Adriæ.

Litteræ pro restituendo salarium Vicecomitis videl. vnius Mensis.

Borsius Dux Mutinæ, & Regij, Marchio Estensis, Rodigijque Comes.

